SPECIMINE SOLENNI MEDICO

VARIOLAS, EARUMQUE DIFFERENTIAS

ASSISTENTE SUPREMO NUMINE,

GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU,

CONFLICTUM MODERANTE

DN. GEORGIO DANIEL COSCHWITZ,

MED. DOCT. ANATOM. CHIRURG. ET BOTAN. IN ALMA FRIDERICIANA PROFESS PUBL. ORDIN. POTENTISS. BORUSS. REGIS IN COMITATU MANSFELDENS. ET APUD PALATINOS HALENS. PHYSICO MERITISSIMO ACAD CÆSAR. LEOPOLD. NAT. CUR. COLLEGA LONGE DIGNISSIMO,

PATRONO, PRÆCEPTORE AC PROMOTORE SINGULARI OBSERVANTIÆ CULTU DEVENERANDO

PRO GRADU DOCTORIS

SUMMISQUE IN ARTE MEDICA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS, MORE MAIORUM OBTINENDIS,

PERLUSTRATAS PUBLICO AC PLACIDO ERUDITORUM EXAMINI

Horis locoque conſuetis

Anno MDCCXXVII. D. Maji

SUBIICIET

BRUNO NETTMANN.

BREMENS.

HALAE MAGDEBURGICAE,

Typis IO. CHRISTIANI HILLIGERI Acad. Typ.

27103

S. R. G. I.

LIBERAE REIPUBL. BREMENSIS
SENATUI SPLENDIDISSIMO

VIRIS

PERQUAM MAGNIFICIS EXCELLENTISSIMIS, CONSULTISSIMIS, AMPLISSIMIS, PRUDENTISSIMIS

DOMINIS,

DN. CONSULIBUS,
SYNDICIS,
SENATORIBUS,
PATRIÆ PATRIBUS,
PATRONIS ATQUE
FAUTORIBUS SUIS

PER OMNEM AETATEM VENERANDIS,
SUBMISSA VENERATIONE DISSERTATIONEM
HANC CONSECRAT.

BRUNO NETTMANN.
Bremenſ.

PROOEMIUM.

MOrbi non Eloquentia, ſed Medicamentis curantur. Ita appoſite ſane loquitur Aurel. Corn. Celſus Præf. L. I.] nec non in antecedentibus tacite quaſi concludere videtur, Medicum haud ſecus ac Agricolam aut Gubernatorem, non diſputatione, ſed uſu fieri. Quorum verborum ſententia tamen eo reſtringenda non eſt, quaſi perſpicaciſſimus Celſus rationem, quæ mediante eloquentia & diſputatione omnium oculis exponitur, a Medicina ſeparandam, reiiciendamque eſſe, authoritate gravi pronunciaverit: ſed quod indicare potius voluerit; ſolam rationem ſine adhibito experimento vanam atque inutilem eſſe, nec ad medendum quidquam conferre, ſi uſus remediorum ipſe deficeret: vanamque eloquentiæ oſtentationem eſſe, ſi quis in cauſas earumque modum agendi ſpecialiſſimum penitius inquirere, ſibique perſuadere vellet, nullam penitus morbo

adhiberi poſſe medelam, niſi prius hæc omnia perſpectiſſima eſſent, quorum tamen ſæpius ſimplex præſentia haud demonſtrari poteſt, ne dicam quod verus & ſpecialiſſimus agendi modus haud raro inperſcrutabilis maneat. Hinc eſt, quod ſatis frequenter morbi occurrant quorum cauſa ſecundum ſpecialiſſimam ſui indolem aut eſſentiam minime cognita exiſtit, quorum tamen cura, ex uſu multiplici, & obſervatione repetita, ſecundum generaliores cauſæ contemplationes ſatis tuto, ſatisque feliciter ſuſcipitur & abſolvitur, adeo ut toto die homines ab illis non minus methodice ac fundamentaliter ſanatos videamus.

Exemplo ſit febris Petechialis: quis enim quæſo huius ſpecialiſſimam cauſam genuinam, ſecundum intimam ipſius eſſentiam, in hunc usque diem declaravit? Quamquam enim vox Miasmatis febrilis, contagioſi, aut maligni, in ſcholis medicorum ſit notiſſima, uſitatiſſima, nemo tamen neſcit, quid exquiſitiſſime ſit hoc miaſma, determinatu difficillimum eſſe; an nempe præciſe ſit ſubſtantia ſulphurea, an ſalina, & ſi ſalina forſan fuerit, an acidæ, an alcalinæ ſit proſapiæ, an ponticum, aut corroſivum, aut cauſticum fuerit; an pungendo, an ſcindendo, anve rodendo actum ſuum edat in partes noſtri corporis fluidas, aut ſolidas, quave ratione ſpecialiſſima, & quo modo agendi maculas illas morſuum pulicum inſtar, nec alias producat; ex quanam materiali phyſica cauſa, (quo magis legitima eſt) præciſe tempora critica obſervet, teneatque

que. Hæc omnia licet Medicum hucusque lateant, non obſtaculo ſunt, quin hæc febris ſatis felici ſucceſſu frequentiſſime curetur; dummodo ſciat Medicus, materiam peccantem ſubtilem halituoſam, agiliſſimam & fermentativam eſſe, ſimulque ab experientia edoctus fuerit, hanc materiam ſumme noxiam proprie correctionem non expectare, ſed tempeſtive quam fieri poteſt, & ſufficienter e corpore excernendam eſſe, hocque omnium optime per corporis peripheriam cutisque poros abſolvi.

Eiusdem indolis ſunt quoque *Variolæ*, quarum cauſa materialis ſpecifica æque intricata exiſtit, ut Celeberrimorum Virorum ingenia iam dudum fatigaverit, nec tamen hucusque evictum ſit, in quo ſpecifice conſiſtat, unde ſpecifice proveniat, vel ubi ſpecifice in corpore lateat; aut unde plurimi hominum ab illis corripiantur, multi ſeris annis illas experiantur, pauciſſimi illis repetitis vicibus ſubiaceant, multi parentum ab illis immunes maneant, quorum tamen liberi, graviſſime ſæpius illis decumbunt, imo ſuccumbunt. Nihilominus illarum cura, ſi rite inſtituatur, ſatis feliciter cedit, ac ingens illorum numerus qui illis decumbunt, ab illis evadunt.

Quæ omnia cum ſatis ſuperque demonſtrent Morbos nec logica, nec rethorica eloquentia, non verbis, ſed herbis ſanari occaſionem nobis ſuppeditarunt, ut hac de materia, DE VARIOLIS puta, earumque differentiis præſentem in auguralem Diſſertationem publico traderemus; atque in illa ten-

taremus, qnidnam ex Rationis fontibus de illarum geneſi, cauſa, & ſolennioribus ſymptomatibus explicari poſſit, ita ut, (licet non omnia de illis fuerint perſpectiſſima & notiſſima) tamen rationalis methodus illis medendi ob oculos poni poſſit, qua ſcopulos hinc inde in curatione obvios tuto & ſecure evitare poſſimus. Nec thematis ſuſcepti nos piget eam ob cauſam, quod novitate forſan ſeſe non commendaverit, pluraque de hoc affectu ſcripta dictaque iam proſtent, cum noſtra intentio non ſit, Nova, ſed Vera, proponere; veritas autem ſemper utilitate ſua gaudeat, ſive nova, ſive veteri veſte induta incedat: neque nos lateat, multa quidem hac de materia ſcripta eſſe, haud vero omnia quæ de illis ſcripta ſunt ita comparata eſſe, ut ſicut ex trypode prolata, nulla correctione, emendatione, uberiore illuſtratione, aut additamento indigerent. Adſiſtat nobis ſupremum Numen, noſtroſque conatus ſecundet, ut in ipſius gloriam, ægrique ſalutem cedant.

§. I.

DE Variolis dum ſermonem & tractationem inſtituimus, omnium primo nobis incumbet, ut mentem noſtram explicemus, quid & qualem morbum ſub hoc titulo intellectum velimus, quo L. B. ſciat, quidnam emolumenti ex noſtra præſente tractatione ſperari poſſit. Neque tamen de Nominis origine valde ſolliciti ſumus, an Variolæ a cutis varietate, quam tunc temporis cum Varis piſcibus aut Truttis ſimilem & maculatam exhibet, an vero ab alia quadam re

re derivationem ſuam ſortiantur; ſed potius rem ipſam attendimus, & ſub Variolarum nomine intelligimus Febrium acutarum continuarum & exanthematicarum ſpeciem, utplurimum epidemicam, quæ exanthemate puſtulari apoſtematico-ulceraſcente, ab aliis exanthematicis ſeſe diſtinguit, & per contagium facile propagatur, germanico idiomate expreſſam: die Pocken, Blattern, Kinder-Pocken. Quod enim ordinariæ Variolæ ſub febrili typo, & continuarum periodo decurrant, univerſale teſtimonium adeſt ab obſervatione practica; dum cum horripilatione levi & æſtu febrili non modo ſubiecta invadunt, ſed continue quoque ſub notabilibus quidem remiſſionibus paroxysmorum afficiunt, terminum acutarum non ſolum in genere ſervant, & intra certos ſeptenarios penitus decurrunt, ſed critico plane more, (febribus continuis alias ſolenni) certa ſtataque eruptionis, maturationis, rupturæ, & deſiccationis tempora ſervare obſervantur: quamvis in uno aut altero ſubiecto gradus febrilium commotionum adeo levis aliquando obſervetur, ut vix ægrotare infantes varioloſos quosdam dicere poſſimus: quod tamen, cum non ordinarium quid ſit; rem ipſam non tollit. Quod vero ſit febris exanthematicæ ſpecies, adparet ex ipſa cutis varietate punctata, quæ ſemper ſub variolis præſto eſt, & nunquam deeſſe debet, ubi ſemel materia varioloſa præſens motum in humoribus extraordinarium excitavit; quo ſeſe ab aliis exanthematicis febribus ſane diſtinguunt. De febre Petechiali enim, nec non Purpurata conſtat, quod præſente licet materia peccante, præſente quoque eadem quoad decurſum, & reliqua eſſentialia, febris ſpecie, non ſemper & indubitate maculæ petechiales, aut purpura erumpant, ſed multoties ſine his exanthematibus in cute adparentibus, & quidem non minus ſalutariter, quam ſub illorum concurſu, decurrant: cum ex oppoſito

 ne

ne unicum quidem verum exemplum practicum proſtet, quod ſine ſubſequente efflorescentia cutanea dicta unquam hæc febris transeat, aut ſalutariter tranſire poſſit, ſed potius, ubicunque tempore Variolarum graſſantium tale quid contingit, ut febris illa quidem adſit, exanthema autem ſubſiſtat, mors certiſſime ſequatur.

§. II.

Quamvis hæc febris exanthematica ſit, ſpeciem tamen exanthematis ſingularem offert, qua ab aliis febribus exanthematicis facile diſtinguitur. Quemadmodum enim febris Petechialis agnoſcitur ex maculis rubris planis, inſtar morſuum pulicis cutim occupantibus; Morbilli elevationem in cute ſemilenticularem rubram formant. Febris papularis elevationibus maioribus, quaſi ab urticatione proficiſcentibus, magis pallidis ac prurientibus dignoſcitur; ita hæc febris iunctum habet Exanthema puſtulare acuminatum, in eo a puſtulari Purpuræ exanthemate ſimilitudinem aliquam referente diverſum; quod puſtulæ varioloſæ in principio eruptionis minores quidem appareant, de die vero in diem maiores fiant, ſeptimo die in ſuppurationem abeant ſemiulceroſam, & ruptæ tandem eſcharam cruſtaceam forment, plerumque denique veſtigia exulceratæ cutis poſt ſe relinquendo: id quod Purpuræ nunquam ſolenne exiſtit, quippe quæ puſtulas quidem, minores tamen exiſtentes & permanentes format, humore limpido, aliquando ſpiſſiuſculo repletas, nunquam in ſuppurationem, aut ulceroſam cutis eroſionem degenerantes, ſed ſine cruſtaceæ eſcharæ formatione, ſub furfurum facie demum ſecedentes. Contagioſam eſſe hanc febris exanthematicæ ſpeciem diximus: id quod iterum quotidiana docet obſervatio atque confirmat; præterea enim quod ſecundum teſtimonium Brunonis, & Fabri, Variolæ veteribus Medicis ac Pathologis ignotæ

fue-

fuerint, & vocem recentiorum conſtituant, Illuſtris quoque Stahlius in Theoria medica notaverit, totum Variolarum proventum Afris deberi, easque ab illis ad Europæos per contagium translatas eſſe, notiſſimum eſt in omnes, quod Variolæ, quando graſſantur, ordinarie per contagium, inſtar aliarum febrium contagioſarum, ulterius propagentur. Ubi ſimul epidemica illarum graſſatio in ſenſus cadit; licet enim aliquando ſporadicæ occurrant; ordinarium tamen, & variolarum quaſi proprium eſt, quod populariter, certos per menſes, ſecundum diverſos locorum tractus ſeſe extendant, hominesque invadant.

§. III.

Cum etiam notiſſimum ſit, diverſas variolarum ſpecies communiter recenſeri, quæ idiomate germanico varia obtinuere nomina, & mox acuminatæ die Spitz-Pocken, mox aquoſæ die Waſſer-Pocken, mox ventoſæ die Wind-Pocken, modo a peculiari puſtularum duritie die Stein-Pocken, vocantur; impræſentiarum notamus differentiam Variolarum generalem, qua iure dividuntur in veras, & ſpurias ſeu nothas: quam ultimam claſſem modo citatæ ſubalternæ ſpecies conſtituunt, veræ autem illæ audiunt, de quibus ſuperiores paragraphi agunt. Et cum animus ſit, primario has veras pertractare, ſpurias autem ſimul in tranſitu pervolvere, haud male actum putamus, ſi Verarum Variolarum conſiderationem ſtricte proſequamur, easque ſpuriis anteponamus, quo poſtmodum tanto facilior fiat comparatio, & differentiæ cognitio.

§. IV.

Cum vero ante omnia neceſſaria ſit verarum Variolarum Diagnoſis atque notitia, nec Medicus unquam in explanatione morbi cuiusdam ordine & decenter procedere queat, niſi morbum, de quo ſermo eſt, prius ex

ſignis

ſignis diagnoſticis perſpectum habeat & noſcat, ideoque morborum cognitio felicis curationis cauſa ſine qua non exiſtat, proximum erit, ut Variolarum verarum pathognomonicam Hiſtoriam eruamus. Contingit itaque prima invaſio quaſi tacite ſine horrore aut notabili frigore, mox ſuboriente calore febrili, interdum ſatis leni, interdum vero fortiori, ſemper tamen continuo; artuum languore, capitis dolore, magis gravativo, & quaſi vertiginoſo, oculorum dolore, & ad luminis adſpectum ſenſibilitate, eorumque communiſſime inſolita humiditate, ac minore claritate, daß die Augen trübe und wäſſerigt ausſehen. Accedit utplurimum ciborum averſio & nauſea, imo in plurimis primis ſtatim horis Vomitus, aſſumtorumque facilis reiectio, quo ipſo aliquando vel bilis, vel mucida ſaburra eiicitur. Utplurimum quoque, præſertim apud infantes ſpecialiſſimus ex ore ſentitur odor nauſeoſus ad dulcedinem inclinans. Hæc ſigna, ſi vel omnia, vel plurima concurrant, ut antecedentia, & variolas imminentes indicantia, conſiderari atque haberi merentur.

§. V.

Durant modo dicta ſymptomata, ſignorum locum gerentia, ordinarie ad diem ſemiſeptimum usque, tertium nempe quartumve, ubi vel intra utrumque vel quarto denique die efflorescentia exanthematum procedit, atque in cute hinc inde puſtulæ ſeſe produnt, nullum certum ſibi vindicantes locum, ſed totum quandoque corpus, ab una extremitate ad alteram obſidentes, primo quidem exiguæ ſeminis milii inſtar, rubræ, acuminatæ, pedetentim, utplurimum die quarto & quinto, ſimplicem eruptionem abſolventes, ſed ad ſeptimum usque creſcentes, quo temporis ſpatio, ad Ciceris vel piſi maioris magnitudinem invaleſcunt cum ſenſu magis vel minus punctorio & ardente, prout copia variolarum comparata eſt, & minorem maiorem-

iorem-

joremve inflammationem excitat. Rebus ſic ſtantibus Variolæ in dictam molem accreſcentes, ſucceſſive, & quidem eo ordine quo effloruerunt, humorem albicantem, ſemipellucidum continent, qui temporis ſucceſſu in ſpiſſiorem & purulentam materiam abit, donec ſeptimo die puſtulæ prout effloruerunt pure plenæ ac turgidæ appareant, manente tamen ambitu & circum ferentia ſingularum puſtularum rubra. Poſthæc de die in diem puſtulæ flaveſcunt, ad undecimum uſque diem, quo tempore ſponte rumpuntur, purulentam ſaniem fundunt, ſubſident, & Eſcharam ſive cruſtam ſicceſcentem nanciscuntur, quæ intra decimum quartum diem ſucceſſive ſecedit atque delabitur: qua ſeparata, in cute per aliquod notabile tempus maculæ rubicundæ, cum vel ſine foveis relictis, pro diverſitate acrimoniæ concurrentis, remanere ſolent. Et hæc ſunt quæ ipſam præſentiam Variolarum teſtantur, totamque ſimplicem hiſtoriæ diagnoſticæ decurſum complectuntur.

§. VI.

Concurrunt aliquando alia adhuc ſymptomata, quæ a quibusdam ad ſigna variolarum diagnoſtica, referuntur, quæ hactenus a nobis recenſita non fuerunt; de quibus tamen monemus, nos illa quidem aliquando obſervaſſe ut concurrentia, non tamen ut eſſentialiter ad ipſum morbum pertinentia, cum ſæpiſſime Variolæ ſine illorum concurſu atque præſentia occurrant atque decurrant, nec non ad minimum quædam illorum ita comparata ſint, ut aliis quoque adfectibus ſolennia atque communia exiſtant; alia ad individuales circumſtantias pertineant, alia vero quandoquidem non a morbo, ſed ab epidemica conſtitutione ſpeciali dependeant. Huc pertinet ſingularis amarities in ore de qua conquæruntur ægri, dum panem comedunt, quæ revera aliquando ſignum

antecedens conſtituit, quod tamen non univerſale, ſed individuale deprehenditur, & facile ab individuali cauſa occaſionali, prægreſſæ v. g. commotionis iracundæ, ortum capere poteſt. Similis farinæ quoque ſunt Ventris tormina quandoquidem ante variolarum eruptionem concurrentia; præſertim ſi verminoſa ſoboles præſto fuerit, quippe quæ hunc effectum facile producere apta eſt; qui haud raro ſupervenientis Diarrhoeæ metum incutere poteſt. Pariter res ſeſe habet cum Convulſionibus, & motibus epilepticis, de quibus conſtat, quod equidem ſatis frequenter eruptionem variolarum antecedant, præcipue ſi infantes forſan dentitione ſimul corripiantur, & ſi concurrant, quod cum reliquis ſignis eſſentialibus præſentiam variolarum tanto magis confirment: verum quod etiam ſatis multi ægrotantium variolas æque feliciter ſine convulſionum acceſſu experiantur, & ſuperent.

§. VII.

Nec deſunt, qui Tuſſim atque Pectoris infarctum pro eſſentiali Variolarum criterio vendunt ac habent, idque adeo acriter defendunt, ut abſente pectoris infarctu & tuſſi, variolas imminere perfractarie negent: cum tamen ex quotidiana ſollicita & aſſidua obſervatione edoceamur, tuſſis acceſſum magis ſolennem eſſe Morbillis, Vomitum vero variolis; ubicunque autem tuſſis gravior, & pectoris notabilis infarctus concurrunt, ibi ſemper rem eſſe ancipitem, cum facili negotio ſub tractatione curatoria, contraindicantia quædam occurrere poſſint. Incidit Mihi Præſidi in mentem talis caſus, variolarum ante plures annos epidemice oberrantium, ubi ad puerum quendam vocatus, ex omnibus præſentibus ſignis certo concludere licebat, nullum alium ſubeſſe præter Variolas morbum, quem etiam adeſſe parentibus firmiter & conſtanter declarabam. Accedebat, neſcio quo fato, Medi-

dicus

dicus ægrotanti cognatus, qui ægrum puerum adſpiciens, parentibus declarabat, nihil minus ſubeſſe quam variolas, & deficere in totum Variolarum ſignum pathognomonicum, eſſentiale, & verum: Sed febre acuta laborare puerum, quæ, ſi variolas expectare (& quidem fruſtra) vellent, ægrum eſſet jugulatura, prius quam variolæ in conſpectum prodirent. Parentes de unigenito filio valde ſolliciti, me agrediebantur, metum ſuum de non cognito vero morbo declarabant, eoque ipſo metum de perverſa cura, funeſtoque eventu, ſatis manifeſte, placide tamen & modeſte exponebant, & hoc quidem præſente altero Medico: Cum itaque iterato aſſeverarem, nullum alium præter variolas morbum ſubeſſe, atque parentibus expectationem patientem commendarem, tandem Medicus, qui hactenus ſiluerat alter erumpebat in duriora verba, & obteſtationes ac juramenta præſtabat, ne dicam quod animam diabolo oppignoraret, quod nullo modo variolæ eſſent expectandæ, ex hoc fundamento, quod ſigna illarum adventum indigitantia plane deficerent: & cum ex ipſo interrogarem quale ex ipſius mente ſit ſignum eſſentiale diagnoſticum variolarum, reſponſum dabat, infarctum pectoris & catarrhum ſuffocativum eſſe, & ubicunque hæ deficerent, ibi nunquam expectandas eſſe variolas. Sed paucis ipſi infirmitatem ſigni diagnoſtici illius mihi remonſtranti, pertinaciter ſe opponebat præ concepta ſua opinione nitens: cui tandem breviſſimis ſub oppignoratione viginti Ducatorum erga unicum, (ſi ipſi libuerit) ſpondebam, craſtina luce hora quarta matutina ipſum viſurum eſſe Variolas erumpentes, quo promiſſo contenti parentes dictum tempus patienter expectabant; & ecce dicta circiter hora primæ efflorescebant variolæ, quas alter Medicus, poſt meridiem, ſub ſui adventu, ob majorem copiam non modo videre, ſed manibus palpare poterat.

§. VIII.

Similimodo res ſe habet cumHæmorrhagianarium, quam aliquando concurrentem videmus, ſub reliquis ſignis variolarum eruptionem antecedentibus: quæ tamen vel a ſtatu plethorico, vel a pecculiari hæmorrhagicarum excretionum conſuetudine, utplurimum dependet, ita ut neque ſemper illam expectare liceat, neque ex ipſius præſentia certo variolarum proventum prædicere, niſi reliqua ſigna magis eſſentialia id clarius demonſtrent; aut peculiaris annorum conſtitutio aliquando tale quid in ſpecie conjunctum habeat; ſic recordamur Variolarum epidemicarum, quibus narium hæmorrhagia cum delirio,primis ſtatim diebus, adeo ſolennis erat, ut fere ſine exceptione ægros invaderent, & pauciſſimi, tam infantes, quam adulti ſine illis variolas experirentur, ita ut ſub illa epidemica variolarum conditione ſemper certiſſimum eſſet ſignum, variolas ſubeſſe, ſi die ſecundo nares ſanguinem ſtillabant, & mox ab initio delirium accedebat, quod utrumque ad eruptionem variolarum usque continuabat, ſub illa autem, placide ſuccedente ſponte ceſſabat. Unde luculenter apparet, talia ſigna aliquando quidem & ſub certis circumſtantiis, pathognomonici quid ſecum ferre, verum non ad omnes caſus applicanda eſſe.

§. IX.

Conſtituuntur a quibusdam authoribus variæ variolarum verarum differentiæ, & ſubdiviſiones, quo reſpectu eas dividunt in Variolas diſtinctas & confluentes, Infantum & Adultorum, benignas & malignas. Verum licet in ſe certum ſit, diverſitates has ſub variolis occurrere, easque Medici attentam conſiderationem mereri, nequaquam tamen diverſas efficiunt Variolarum ſpecies, in morborum hiſtoria ſecernendas & multiplicandas;

manet

manet enim ſemper eadem febris continua exanthematica; ſuntque eſſentialiter eædem ſemper variolæ. Reſpectu enim ætatis non differt morbus, ſed Morbi ſubjectum, quod etiam reſpectu temperamentorum & ſexus differre poteſt: quemadmodum ratione diſtinctionis aut confluxus variolarum ſymptomatis differentia adeſt, quæ utplurimum a cauſis occaſionalibus, regiminis, medicationis præpoſteræ, tempeſtatis, ſtatus plethorici, non autem a morbo ejusque eſſentia dependet. Malignitatem & Benignitatem variolarum quod concernit, hæc comparativa eſt, licet enim Variolæ alio atque alio tempore benignæ adpareant, unum alterumve individuum benignius aggrediantur atque afficiant, nuuquam tamen omni malignitate intrinſeca carent, ita ut ab individualibus cauſis turbatæ, malignitatem non exſererent aut exſerere poſſent; licet alio tempore citra individualium cauſarum acceſſum, a cauſa communi epidemice quaſi hanc malignitatem ſecum ferant.

§. X.

Devolvimur ad conſiderationem Subjectorum, quæ præ aliis, variolis obnoxia evadunt, ubi ſane recepta res eſt, quod Infantes ac Pueri præ aliis ſubjectum conſtituant, quapropter Variolæ quoque morbi infantilis titulum gerunt, & quidem ex duplici fundamento, cum non modo, teſte quotidiana experientia, infantes & pueri majorem imo maximum ſemper numerum varioloſorum conſtituant, ſed præterea pueri atque infantes ordinarie quaſi levius illis decumbant, easque faciliori negotio tolerent imo ſuperent: nec deeſt utriusque probabilis ratio; in pueris enim atque infantibus, copioſior adeſt præſentia materiæ lymphalis, in qua potiſſimum miasma illud varioloſum hoſpitatur, ex quo fundamento aptiores exiſtunt ad receptionem illius miasmatis, præ adultioribus,

bus, qui tantam materiæ lymphalis copiam, in proportione, non poſſident. Accedit porro ex una parte major cutis & pororum laxitas, mollities, & apertura, quæ faciliorem citioremque variolarum eruptionem non modo concedunt, ſed ſuppurationem quoque facilius tolerant, quippe quæ ſemper promptius in corporibus laxioribus ſuccedit, quam in illis quæ rigidioribus gaudent fibris, quales ordinarie apud adultiores deprehenduntur: ex altera major animi libertas atque tranquillitas, ad minimum quoad curas circa eventum ſollicitas; ſub qua motus ſecretorii & excretorii liberius & majore tranquillitate ſuccedunt, præ adultioribus, qui ſub tali morbo periculi pleno gravioribus ordinarie angoribus animi vexantur, eoque ipſo motuum ſecretoriorum, & excretoriorum turbationes facilius experiuntur. Interim licet utplurimum res ita ſe habeat, quod infantes & pueri magis ſubjiciantur variolis, nihilo minus ſatis frequenter accidit, ut etiam adultiores, imo ipſi ſenes variolis ſubjiciantur; quemadmodum quotidiana obſervatio loquitur, teſtisque eſt omni exceptione major, quod juvenes, æque ac vegetiores viri, & ſenes ſexaginta pluriumque annorum variolis corripiantur: unde affirmandum eſſe cenſemus, Pueros ac infantes ordinarie quaſi, extra ordinem vero adultiores Variolarum ſubjectum eſſe. Neque ratione periculi negandum eſt, adultiores gravioribus ſymptomatibus, majorique periculo ſubditos eſſe, eoque ipſo teſtari, hunc morbum ætati infantili magis congruum exiſtere. An ſexus hic quidquam in ſpecie contribuat, unusque præ altero variolis ſubjectus ſit, certe determinare haud licet, dum utriusque ſexus perſonas, ſæpiſſime, ſub eodem ferme numero, laborantes hoc morbo conſpicere licet.

§. XI.

§. XI.

Subjectum ſpeciale, aut partem affectam determinare ſi velimus, reſpectu puſtularum varioloſarum, ſane non niſi externa peripheria corporis pro tali haberi poterit. Etiamſi enim aliquando contingat, ut internæ quoque partes nobiliores ab illis occupentur, hoc tamen non fit ſecundum naturæ ordinem & legem: cum enim interiores partes tenerioris exiſtant ſtructuræ, ac conditionis ſenſibiliſſimæ, nec non nobilioribus ac indiſpenſabilibus officiis inſerviant, quæ abſolute integritatem ſtructuræ requirunt, haud ſane congruum eſſet, ſi hæc materia varioloſa, ſemper ulcerationem producens, ubicunque in corpore colligitur, ad has nobiliores teneriores partes deponeretur, cum exinde non niſi graviſſima œconomiæ animalis damna ortum capere poſſent; id quod triſtiſſima experientia ſubinde teſtatur, quando materia illa peccante haud ſufficienter expulſa, portio illius intus hæret, oëſophagus aut inteſtina variolis corripiuntur, quæ, ſuam ibi tragoëdiam ludunt, inflammationem, convulſiones producendo, mortemque inducendo. Unde merito concludere licet, cutim externam maxime adæquatum conſtituere ſubjectum pro excretione varioloſa; cum enim hæc materia, uti jam dictum eſt, ſemper ulceratoriæ ſit indolis, partemque ſolidam quam occupat, in continuitate lædit, recte Natura e duobus malis minimum eligit, motuque ſecretorio & excretorio, materiam illam acrem ulceraſcentem ex humorum maſſa detrudit, eamque ad cutim extremam, tanquam ignobiliorem, talemque læſionem facilius tolerantem, deponit: quamvis enim hic itidem læſio continuitatis obtingat, dolorque ſuccedat, damnum hoc tamen longe minus exiſtit, ſi cum illo quod internis partibus immineret, comparetur. Quapropter ad extraordinarium ſtatum referimus, ſi variolæ,

cutim non ſolitarie obſideant; defectuique motuum excretoriorum, eorumque turbationi adſcribimus, ſi internas partes quascunque occupent, cum ex rei natura non melius quam per cutim excludi poſſint ac debeant.

§. XII.

Ad Cauſæ Variolarum explicationem devoluti, campum ſatis latum exſpatiandi deprehendimus, ubi varias variorum Authorum opiniones atque ſententias colligere poſſumus, quæ circa intricatam hanc materiam hincinde propoſitæ proſtant. Fatigavit a multo iam tempore eruditos & Medicos variolarum conſideratio, reſpectu habito ad genuinam illarum, & proximam materialem cauſam; præcipue cum viderent, totum ferme genus humanum ipſis ſubiectum eſſe, & pauciores ſaltem homines per vitam ab ipſis liberos manere. Unde quam plurimi, Arabum præcipue doctrinam ſequentes, communem aliquam huius mali cauſam materialem in noſtro corpore quæſiverunt, eamque tanquam continentem & in omni homine præexiſtentem ſtatuminarunt, quæ ſaltem poſtliminio, ab alia quadam cauſa externa, extricetur & in actum deducatur: ideoque impuritates ſanguinis, a nutritione fœtus in utero ipſi inhærentes, accuſarunt, quas per totam vitam in Maſſa ſanguinis ad momentum extricationis usque, ſine damno ſanitatis hærere poſſe putarunt. Alii ſpecialiſſime illam ſanguinis portiunculam accuſarunt, quæ poſt partum fortaſſis intra portionem funiculi umbilicalis remaneret, & modo ſuperiore tandem tale ſanguini univerſo dammnum adferat. Alii in nutrimento infantum, tam in utero, quam extra uterum ipſis oblato, cauſam poſuerunt, ſupponentes nutrimentum hoc lacteum eſſe, & eo ipſo ad aceſcentiam proniſſimum; quod acidum itidem non modo ad producendas cutis ulcerationes aptiſſimum putant, ſed ſine damno reliquæ ſanitatis

nitatis, multos per annos in corpore latitare poſſe autumant. Alii denique verminoſam aut animatam pathologiam hic formant, & inde huncce morbum deducere conantur, quo intuitu etiam puſtulas varioloſas effluviorum verminoſorum receptacula vocant: ſicut ab aliis totum negotium cum fermentatione muſti aut cereviſiæ, feces per ſuperiora vaſis deponentis, aſſimilant & comparare ſolent. Et quis omnes illas opiniones diverſorum authorum recenſebit cum præcipue plurimæ ita comparatæ ſint, ut negotium plane non tangant, multo minus exhauriant.

§. XIII.

Non equidem animus eſt dictarum hypotheſium refutationi uberiori diutius immorari, ſed ſufficiet paucis indigitaſſe, omnes illas ſanguinis aut humorum impuritates, a nativitate hominis ipſis inhærentes atque ſuppoſitas, cum reliquo œconomiæ animalis ordine atque negotio haud convenire. Si enim omnes circumſtantias accuratius penſitamus, notiſſimum eſt, vitam noſtram, poſt ciborum & potulentorum ingeſtiones, unice ſecretionibus, & excretionibus partium heterogenearum e corpore & maſſa humorum conſervari, actumque vitalitatis in eo conſiſtere atque abſolvi, nec unicam aliquam partem corporis noſtri concipi poſſe, per quam non quotidie, imo per momenta, ſanguis aut alii humores transpelluntur, ideoque ſecretiones & excretiones ſine intervallo diu noctuque celebrantur: quis quæſo rebus ſic ſtantibus conceptum probabilem, nedum verum ſibi formare valeret, quod hæc materia varioloſa ſæpe per totum vitæ curriculum, ad ſenium usque ultimum, hic ita quieta manere poſſit, ut nullam plane noxam in corpore producat, (cum tamen ſemper ulceraſcentis indolis obſervetur) quin potius ſub excretionibus illis univerſalibus & varii generis,

ſimul e corpore eliminetur atque ejiciatur, aut ad minimum ita ſubigatur, & imminuatur, ut effectus tales tragicos poſt longum tandem tempus haud amplius edere valeat. Ne dicam, quod plures, imo plurimi homines, ab infantia prima per reliquam ætatem varias ſæpiſſime excretiones ſubcutaneas, manifeſto a cauſa ſalino aceſcente oriundas, v. g. achores, cruſtam lacteam, &c. experti ſint, easque ſatis diuturnas & chronicas, aut febribus acutis & exanthematicis laboraverint, ſub quibus motus ſecretorii & excretorii ſane tanto gradu ſæpiſſime aucti exiſtunt, ut nunquam probabile ſit, quod talis materia, quæ præterea cum febre acuta, continua, criticum ordinem ſervante, excerni ſolenniter ſuevit, hic ullum latibulum invenire poſſit. Quin quod portio ſanguinis in funiculo umbilicali forſan ex hypotheſi ſubſiſtens, per coagulationem & corruptionem, ſtaſin illam excipientem, facilius longe alios circa umbilicum affectus moleſtos externos proritare valeat; nec incognitum ſit, quod vaſa illa umbilicalia, quæ in foëtu pro ſanguinis circulo & tranſitu inſerviebant, poſt ejus excluſionem tandem in ligamentum abeant, ſuamque cavitatem ordinarie amittant. De verminoſa ſobole variolas producente multa proferre neceſſarium non ducimus, cum tota hypotheſis, magis nudis mentis fictionibus, quam ullis veris rationibus innixa appareat: quis enim quæſo, niſi mentis fictione, materiam varioloſam, in effluviis vermium putridis, a Natura ad cutis periphæriam protruſis ibique depoſitis, conſiſtere ſibi perſuadebit, & inſimul his ipſis effluviis putridis aut atomis acutiſſima roſtella, plurimosque pedes aſſignabit, quibus, nutrimentum ex cute deſiderantes, non modo pungendo, ſed erodendo & depaſcendo, cutim afficere, foveasque illi imprimere poſſint. Unde hanc verminoſam aut animatam Variolarum pathologiam protinus potius relinquimus,

mus, & ad ea, quæ ex noſtra ſententia adhuc proferenda ſunt, deproperamus.

§. XIV.

Quando itaque hujus cauſæ perluſtrationem inſtituimus, recte Helmontium dixiſſe fatemur, Venenum hujus adfectus a priori haud eſſe demonſtrabile aut determinabile, ſed potius per effectus ſuam indolem declarare. Unde quidem cum aliis probabile eſſe affirmamus, Cauſam variolarum in Miasmate quodam ſubtiliore conſiſtere, vel ex aëre, vel per aërem, ad corpus humanum translato: id quod exinde maxime eluceſcere putamus, quod Variolæ inſtar aliarum febrium epidemicarum ordinarie populariter graſſentur: nec non inſtar febrium aliarum a miasmatica materia oriundarum, perquam facile, aliis corporibus mediante contagio communicentur: & a ſpecialioribus aeris conditionibus & mutationibus, modo leviores & benigniores, modo graviores ac maligniores reddantur; prout hoc ſub dilucidatione ſymptomatum paulo magis eluceſcet. Sed ſimul hanc materiam eam ob rationem magis a poſteriori conſideramus, quod ab effectibus illius conſpicuis & proximis eorumque contemplatione, proximus & utilis formari poſſit tranſitus, ad veras conſiderationes practicas, & indicationes therapevticas, quibus Medicus, tam in præſervatione, quam in curatione morbi, opus habet.

§. XV.

Primum itaque quod circa Miasma varioloſum, eiusque qualitatem & conditionem, conſiderationem meretur; eſt ipſius agilitas, ſubtilitas, & indoles fermentativa. Eluceſcit hæc huius miasmatis conditio potiſſimum ex modo communicationis vulgari; de quo in omnes notum exiſtit, quod per contagium familiariſſime contingat; ubi ſane ſatis probabile imo certum manet, haud magnam

quantitatem materiæ miasmaticæ requiri ad productionem huius mali: id quod tanto magis a poſteriori demonſtratur per modum communicationis noviſſimum, mediante inoculatione ſuſceptum, quando parcam ſatis quantitatem materiæ varioloſæ ſuppuratæ, tali miaſmate imbutæ, vulnusculo inflicto applicant, & ita totum morbum excitant. Ubi autem talis contactus non eſt, ibi non niſi per reſpirationem, aerisque infecti attractionem & cum ſaliva permixtionem, (non tamen penitus excluſa communicatione per poros cutaneos,) contagium illud procedit, quod ſemel humoribus communicatum, tantæ activitatis ſemper deprehenditur, ut illos inſtar fermenti penetret, iisque ulceraſcentem corruptionem, eamque ſatis repentinam imprimat; ita, ut, quocunque demum materia illa peccans collecta cum humoribus & ſub illorum circulo deponatur, immediate & indubitato hic effectus in partibus ſolidis ſequatur.

§. XVI.

Alterum quod circa hanc materiam miasmaticam conſiderandum ſe nobis offert, eſt, quod ſecundum maximam probabilitatem ſedem ſuam equidem in ſanguine, potiſſimum tamen & principaliter in humoribus lymphatico-ſalivalibus capiat atque inveniat. Id quod probatur α) ex ipſius corruptelæ quam producit indole: in omnes enim notum eſt, corpus noſtrum quoad partes ſolidas variis corruptelis ſubiici, easque corruptionum ſpecies, pro diverſitate fluidarum partium, quæ illas alluunt ſubire: quo reſpectu corruptio ſphaceloſa putrida maxime omnium ſanguini ſibi relicto, partibusque ſanguineis, familiaris exiſtit: quæ tamen, ſi particulæ ſulphureæ agiliſſimæ motu tempeſtivo accedente ſubigantur & diſpellantur, facile præoccupatur, aut in apoſtematicam mutatur: cum humoribus lymphaticis & ſalivalibus, nil

magis

magis, quam ſalſa acris corruptela immineat, quæ partibus ſolidis quas transfluunt, ulceroſam corruptionem afferunt; ita tamen, ut hæc corruptio, prout aliquid ſanguinis, in maiore aut minore portione admixti habet, quaſi mixta adpareat, & ulceroſo - apoſtematica exiſtat. Quod ultimum etiam contingit in puſtulis varioloſis, quippe quæ non modo corruptionem in genere, ſed in ſpecie ulceroſo apoſtematicam ſubeunt, maximo teſtimonio, quod potiſſimum humores lymphatico-ſalivales, cum ſanguinis tamen aliqua portione permixtæ, patiantur & a materia peccante afficiantut. β) Nec minus hoc concludere licebit ex facili contagio; quippe qnod uti ſupra dictum eſt potiſſimum ſub effluviorum miasmaticorum attractione inſpiratoria contingit, atque ſub illa ſalivæ proxime communicatur; unde ulterius in corpus transfertur, & reliquis partibus inſinuatur. γ) Id quod luculentius adhuc adparet, ex ſymptomatibus fauces corripientibus; ubi toto die contingit, ut ſi fauces variolæ obſideant, & quidem in paulo largiore copia, ſane ulceratio illa hic longe vehementius ſeſe diffundat, quam in aliis partibus, id quod procul dubio, præter periſtromatis faucium mollitiem, ſalivali latici, quæ lymphaticæ indolis exiſtit, potiſſimum adſcribendum eſt, unde merito argumentandum, hoſce humores præcipue fomitem materiæ illi miaſmaticæ largiri. δ) Nec dubitamus, quin ex eodem fundamento, infantili ætati familiarior ſit affectus: cum in hac ætate, propter corporis incrementum tunc temporis ſummum, notorium, & quaſi viſibile, longe maior atque uberior Lymphatici humoris proventus vigeat, quam ſub reliquis: quo etiam in genere ſpectat, quod generaliter magis periculoſæ exiſtant variolæ illis individuis adultioribus, quæ copia humoris lymphatici intra ſanguineam maſſam præ aliis turgent: ita ut ex hoc maxime

 fun-

fundamento ad quæſtionem; Cur infantes præ adultioribus variolis ſubiiciantur? reſpondere valeamus: ſicut maxime appoſita, ad alteram quæſtionem; Cur nempe adultiores & ſeniores variolis non ita frequenter ſubiaceant? reſponſio valet Illuſtris Stahlii: dicentis; quoniam plurimi homines in prima ætate illis iamiam ſubiecti fuere.

§. XVII.

Tertium quod in conſiderationem venit, eſt, quod hoc miaſma varioloſum ſpecialem ſui correctionem, aut alterationem non ſubeat, ſed unice ſui excretionem poſcat atque requirat. Haud enim hactenus inventum fuit experimentum ullo modo certum aut firmum, quo aliquis Medicorum, nedum ipſa Natura, quamprimum huius miaſmatis contagioſæ communicationis veſtigia ſeſe exſeruerunt, ipſius effectum inſeparabilem, puſtularum nempe varioloſarum eruptionem & ulcerationem impedire, avertere materiamque peccantem alterare atque corrigere potuerit, ut vel ſine damno, in corpore manere, aut per aliam excretionis ſpeciem, penitus, & ſine periculo excerni potuiſſet. E contrario tota die videmus, quod ubicunque veſtigia hauſti contagii ſeſe produnt, ſemper miaſmatis illius, ſub aliqua collectione facta, excretio per cutim contingat, hancque excretionem rite procedentem unicam illam eſſe quæ conveniens huic malo: dum ſi illegitime cedit hæc excretio, vel plane impeditur, retardatur, aut ſupprimitur, indubitato graviſſima & ſæviſſima conſectaria ſuccedunt, vitæ periculum ſummum ſecum ferentia. Unde neque *Celeberrimi Langii* experimentum ita abſolute aſſumendum eſſe putamus, cuius mentionem facit in Diſſertatione de Morbillis, quæ Miſcellaneis ipſius curioſis inſeritur, §. 114. 115. ſequentibus verbis. *Atque ut ſeneſcendo, plura addiſcimus, & meliora continuatis labo-*

laboribus ſucceſcunt, ita ante hoc trimeſtre Eſſentia vere benedicti valoris nobis innotuit, cuius beneficio verminoſam corruptionem, ac proinde morbillos, in principio ſtatim, & quando adhuc in fieri ſunt, ita ut ad incrementum ac vigorem, ſeu ſtatum poſtea pervenire nequeant, ſupprimi, & præmaturos adhuc ex imis fundis ſubverti impoſterum poſſe, non immerito concluſimus. En Obſervationem notatu digniſſimam. Virgo maiorennis per contagium forte fortuna hoc malo aſſiciebatur, in qua ſymptomata morbillis, *(vel quod authori idem eſt,* variolis) *conſueta, propemodum cuncta iam ingruere, atque macularum ruborem undique, præſertim vero per totam faciem, colliqne ſuperficiem efflorcſcere, & paulatim intumeſcere deprehendebam; Quum itaque mihi conſtaret* recens inventi medicamenti *energiam vermibus vehementiſſime infeſtam eſſe, de hac eſſentia ad 50. guttas certiſſima ſpe fretus fore, ut ſic omnis diſcriminis gravitas, (quam alioquin incurrere neceſſum habuiſſet ægra, quia ſucci plenior, atque proinde ad concipiendam excellentis corruptionis malignitatem aptiſſima erat) in tempore declinari poſſet, exhibui. Quid factum? Exſpectationi reſpondit eventus: Paulo poſt enim & vix elapſo unius horæ ſpatio, ſymptomata ſingula, una cum puſtulis omnibus ita evanuerant, ut ne veſtigium tam morbillorum, quam ipſius etiam morbi amplius tam adſtantes concernerent, quam ipſa etiam Virgo perſentiſceret; quæ adhuc usque floridam valetudinem agit.* Sed optandum eſſet, ut talis obſervatio pluribus exemplis corroborata proſtaret, ne dubium aut ſuſpicio de fallacia cauſæ non cauſæ, vel aliarum circumſtantiarum neceſſariarum ſubeſſet aut remaneret; interim cum illa hactenus deficiant, generalis noſtra obſervatio & conſideratio in ſuo adhuc valore manebit.

§. XVIII.

§. XVIII.

Uſum hujus circa cauſam variolarum inſtitutæ conſiderationis, paucis prælibare placet, ut poſtea tanto melior in practica pertractatione fieri poſſit adplicatio. Primo itaque exinde fluit dogma illud: quod Præſervatio a Variolis ipſis, per varia evacuationum genera, vera atque realis nulla detur. Certiſſimum enim eſt, neque per V. S. neque per alvinas Laxationes, aut Emeſin, ullo modo præoccupari poſſe ſuſceptionem aut communicationem miasmatis per contagium, quippe quæ omni tempore, facta licet omnis generis evacuatione artificiali, contingere poteſt: nec a Diaphoreſi tale quid ſperare licet, cum eadem ſubſit ratio, & omnibus ejusmodi evacuationibus fomes ſaltem majoris ac firmioris innidulationis ſubtrahatur, & ſimul ex aliqua parte ſymptomatum gravitas præoccupetur, non autem ipſe morbus præſcindatur. Sed potius apparet, optimum præſervatorium remedium, in evitatione contagii quam poſſibili conſiſtere, atque in hac parte Variolas cum aliis contagioſis morbis æquiparandas eſſe, a quibus non minus certiſſime præſervamur, quam diu a communicatione miasmatis contagioſi nos immunes ſervare poſſumus. *Quam utramque noſtram aſſertionem egregie confirmat Venerandus Noſtræ Facultatis Senior, in Diſſert. de Hiſtoria Variolarum epidemicarum: quando dicit. Haud facile unum corpus, quod ex hoc morbo primum non laboraverit, liberum relictum fuit, niſi remotio fuerit contagii: & paulo inferius: Obſervatum etiam eſt in aliquot infantibus imo adoleſcentibus, cum præſervationis gratia Laxans, vel leniter primam regionem expurgans ad minuendam peccantem materiam aſſumſerunt, ipſos poſtea ſtatim hoc morbo fuiſſe correptos, præſertim, ſi in eadem domo plures jamdum decumberent.* Alterum hinc promanans dogma in eo conſiſtit: quod Medicus

dicus curam hujus affectus ſuſcipiens, pro indole materiæ peccantis agere debeat, illumque non ignem igni dare oporteat, i. e. ut caveat, ne per remedia calidiora, activa, aut per methodum concalefacientem, materiam adhuc teneriorem & ſubtiliorem reddat; eoque ipſo illius excretionem tempeſtivam plus impediat, quam promoveat. Tertio loco eo quoque hæc conſideratio eſt impendenda, ut Medicus ſciat & diſcat, tempus non terendum eſſe ſub attentata forſan, atque in mente ficta Materiæ peccantis alteratione, & correctione, ſed vanam hac eſſe irritamque, citiusque ægrum moriturum fore, quam ipſe hunc finem & ſcopum obtinebit: ſed unice neceſſariam eſſe, tempeſtivam & placidam, per vias naturæ conſuetas, i. e. per cutim, eliminationem & excretionem.

§. XIX.

Antecedentes & procatarcticas quod concernit cauſas, hæ facile ſe dividunt in tales, quæ vel productioni Miasmatis favent, vel quæ ejus receptionem, & exaltationem in corpore promovere poſſunt. Priores quod attinet, haud ſane dubitandum erit, illas extra noſtrum corpus quærendas eſſe; eam ob rationem, quod Variolæ æque ac alii morbi contagioſi acuti epidemice graſſentur, & cauſam aliquam communem & epidemicam agnoſcere debeant; non vero individualem in corpore hærentem, licet non negemus, individuales atque intrinſecas cauſas ad mali aggravationem multum contribuere. Obſervatu itaque dignum eſt; Variolarum primum proventum ordinarie tempore contingere vernali; nec tamen omni vere illas graſſari, ſed tunc demum quando tempeſtas vernalis non modo valde inæqualis, & atmosphæra valde mutabilis exiſtit; ſed præterea aër præter ſolitum, calidior, atque humidior exiſtit, eoque ipſo partes ſulphureo ſalinæ agiles, & humiditates, per hiemem

in terra detentæ atque ſtagnantes, exagitantur, intimius commoventur, & in motum inteſtinum putreſcentem quaſi rapiuntur; quippe nihil motum fermentarorium inteſtinum in particulis mobilibus excitare ac promovere poſſe, quam humidum & calidum accedens, notiſſimum eſt. Hac itaque exhalatione particularum noxiarum ex terra fiente, ſi præcipue Venti non accedant, illas tempeſtive diſſlantes & diſpellentes, ſtagnatio quaſi illarum in aëre atmoſphærico contingit; adeo, ut ſub acceſſu variorum aëris mutationum, quæ tunc temporis uno die aliquoties contingere ſolent, particulæ illæ diverſimode ad invicem cogantur, ab invicem rapiantur, & iterum jungantur, ut talem compoſitionem & mixtionem tandem nanciſcantur, quæ ſpecialiſſime talis indolis ſit, ut ad noſtrum corpus delatum illud miasma, ſpecifice hanc corruptionem humorum ſalſo-acrem & cauſticam ulceraſcentem, producere poſſit. Haud enim ſolam aëris vernalis conſtitutionem humidam & calidiorem ſufficere poſſe ad productionem miasmatis varioloſi, exinde patere nobis videtur, quod non omni Vere humido & calido variolæ, ſed multoties hæ plane non, aſt illarum loco febres petechiales, aut purpuratæ, aliæve malignæ & benignæ, progignantur: unde graviſſima ſane ratione conjicere licet, hanc aëris vernalis conditionem in genere quidem ad generationem morborum epidemicorum febrilium contagioſorum, aut malignorum facere; ad ſpecialem vero unius aut alterius horum adfectuum productionem non ſufficere, ſed aliud quid requiri, ut uno anno hic, altero autem alius illorum adfectuum gignantur: id quod ſpecialiſſimæ particularum peregrinarum aërem tunc occupantium compoſitioni, mixtioni, & determinationi adſcribendum eſſe judicamus: hoc enim ſi non eſſet omni vere humidiore & calidiore indiſeretim, Variolæ, Pete-

Petechiales, Catarrhales, Purpuræ, graſſarentur, quodtamen obſervationi contradicit, cum haud facile tale quid contingat, ſed potius graſſante uno aut altero tali morbo, reliqui utplurimum ſileant: aut mutato aliquando aëre, ejusque conditione, quandoquidem ſucceſſive ſeſe excipiant, & invicem ſequantur. Unde patet, Miasma tale aëri communicatum, tractu temporis, & accedente ab aëris mutatione, alio patricularum motu, alterari, aliamque indolem induere poſſe.

§. XX.

Sicut hæc aëris conſtitutio calida & humida generaliter ad generationem variolarum facit, ita non minus ad illarum pejorem ac deteriorem conditionem ſuum confert ſymbolum. Multiplici enim atque conſtanti obſervatione compertum habemus, variolas in ſe ſatis benignas & lenes ſub tempeſtate ſicciore manentes, ſemper in pejores mutari, quamprimum aër ſub illarum graſſatione mutatur in humidiorem & calidiorem: & hoc quidem generaliter, ita ut in omnibus quaſi individuis tunc decumbentibus, talis alteratio obſervetur: & ſub tali tempestatis mutatione facilius variolæ ex diſtinctis in confluentes mutentur, ſymptomata graviora evadant, &, ſi tale quid ſpeciatim circa maturationis & ſuppurationis tempora contingat, materia incluſa acrior fiat; pluresque atque majores foveas, cutim profundius erodendo, relinquat: manifeſto itidem teſtimonio, quod particulæ illæ acres ſulphureo ſalinæ ejus exiſtant indolis, ut a motu accedente vehementiore magis non modo expandi, ſed cooperante humiditate in maiorem fermenteſcentiam deduci, & per hanc in ſua acrimonia cauſtica exaltari & exacerbari facillimo negotio poſſint. Unde Medicus circumſpectus & providus iterum occaſionem nanciſcitur argumentandi, calidiorum & activiorum remediorum uſu,

 aut

aut potius abuſu, idem excitari poſſe damnum, ideoque cavendum eſſe, ne præpoſtera medendi methodo tale quid efficiatur.

§. XXI.

Poſterioris generis cauſæ, quæ nempe receptioni & exaltationi miasmatis favent, potiſſimum in ipſis corporibus eorumque diſpoſitione individuali hærent. Præter enim, quod aër quoque externus habitum corporis varie alterare poſſit, ac humiditate ſua fibras cutaneas relaxare, porosque minus ſtrictos reddere valeat; ad faciliorem miasmatis ſuſceptionem tamen multum facit corporis propria conditio mollior & laxior, æque ac copia & abundantia humorum lymphaticorum in corpore præſentium: quam ob rationem ætatem infantilem ac puerilem, & temperamenta humidiora de ſanguineo, & phlegmatico participantia, ad cauſas naturales referimus. Cum enim utique materiæ tales miasmaticæ in noſtra corpora agant ſecundum corporis receptivitatem, conceptu facile erit, quod ſubtiliora talia effluvia facilius per poros ampliores, quam per ſtrictiores & anguſtiores ad humores penetrare queant, in tantum nempe quantum peripheria corporis tali miasmati recipiendo apta exiſtit: unde in genere quoque videmus morbos contagioſos humidioribus & ſucculentioribus individuis longe facilius communicari, quam ſiccioribus. De reliquo compertum habemus, illa corpora, quæ mollioris & laxioris conditionis exiſtunt, eam ob rationem tali habitu corporis gaudeant, quoniam multa Lympha, multoque ſero abundant; cum itaque in ſuperioribus jam dixerimus, humores lymphaticoſeroſos & ſalivales fomitem maxime conſtituere innidulationis facilioris ac firmioris, materiæ miasmaticæ, hinc facile perſpicere quis poterit, cur infantes, pueri, & humidiora ſubjecta facilius præ aliis Variolis corripiantur.

tur. Exacerbationis majoris, & exaltationis materiæ varioloſæ, æque ac ipſius morbi, cauſas, cum non univerſales, ſed individuales utplurimum ſint, merito in peculiari & individuali humorum diſcraſia ponere licet, quæ, quo major eſt, & præcipue ſalſa & ſulphurea exiſtit, non poteſt, quin acerbiores & magis malignas producat Variolas: unde etiam ſæpiſſime contingit, ut variolis in genere ſatis benignis exiſtentibus, nihilominus unum alterumve individuum vere malignis decumbat. Interim tamen non omnem malignitatis cauſam in hoc fundamento reponimus, optime conſcii, quod univerſaliores quoque malignitatis cauſæ, ab aëre ejusque conditione, & tempeſtatibus anni, vel prægreſſis, vel præſentibus, quæ corpora & humores valdopere alterare, & ad materiæ miasmaticæ ſpecialem diſpoſitionem conferre poſſunt, ſint deducendæ.

§. XXII.

Occaſionalem cauſam ſæpiſſime conſtituit ad affectus individualem productionem, commercium tam cum perſonis infectis, quam cum illis, quæ cum morbidis commercium quoddam habuere. Hinc videmus, quod utplurimum infantes atque perſonæ, quæ unam inhabitant domum, ſi hoc malo nondum laboraverint, una vero illarum ægrotandi initium fecerit, ſucceſſive omnes eodem malo corripiantur. Neque non in hoc paſſu noſtram quoque facimus obſervationem Illuſtri Noſtri Hoffmanni, quando dicit: *Obſervatum autem eſt, contagium longe fuiſſe efficacius, & penetrantius, quod ex jam ſuppuratis & in ſaniem converſis variolis in auras evaporabat, unde ſucceſſive infecta fuerunt corpora.* Nec ratio deëſt hujus phænomeni; quoniam certiſſimum eſt, virus hoc maximo in motu inteſtino tunc temporis eſſe, quando maturantur puſtulæ, atque rumpuntur, dum motu illo fermentativo

 fibras

fibras quoque cutis atque cuticulæ aggreditur, illas emollit, earumque continuitatem ſolvit atque diſrumpit, unde effluvia ex multis ejusmodi ulcuſculis ſimul evolantia aërem athmoſphæricum imbuunt, inquinant, atque impurum reddunt, qui per inſpirationem attractus, tanto facilius ſalivæ permixtus humores reliquos penetrare valet: qua de re teſtatur peculiaris ille odor gravis ac nauſeoſus, in conclavibus ægrotantium tunc temporis præſens, quem reliqui etiam adſtantes, licet periculum infectionis haud timeant, ordinarie abhorrent. Quibus adhuc addimus, virus hoc contagioſum magis indies quoque exaltari, quo major numerus ægrotantium corripitur, atque ſimul decumbit: non ſolum enim effluvia talia peregrina, a pluribus numero corporibus, in auras majore copia exhalant & diſtribuuntur; ſed rationi maxime conſentaneum videtur, miasma illud in qualitate & gradu activitatis quoque exaltari atque ſubtilius reddi, quo ſæpius novo motu fermentatorio exagitatur.

§. XXIII.

Quod autem in alias quoque ædes per famulantes perſonas frequentiſſime transportetur, res eſt a quotidiana obſervatione confirmata: quid enim frequentius, quam quod illi, qui variolis adficiuntur, neque aliorum ægrotantium ædes, neque conclavia intraverint, ſed ancillæ ſaltem, aut aliæ perſonæ, ipſis quoque adfectis inſciis, illa viſitaverint loca, atque contagium ſecum portaverint domum. Quod, ut propriarum obſervationum nequidem mentionem faciamus, iterum Illuſtris Hoffmannus notanter annotavit in Diſſertatione ſuperius citata, quando ait: *Non tantum Miasma ingreſſum invenit in vicinos homines, in eadem domo habitantes, verum etiam tranſportatum in remota loca, in diſpoſitis corporibus vim ſuam pernicialem exſeruit. Novimus exemplum, ubi*

non

non tantum ex una contignatione domus in alteram, ſed ex una domo in alteram ipſa infectio ab adſtantibus, & domeſticis fuerit translata, & quod notabile, talismodi ſubjectis communicata, quæ luem hanc in domo graſſari plane ignorabant; unde nullum dubium eſt, effluvia virulenta, non ſecus ac in peſte, aſperæ pannorum ſuperficiei arctius inhærere, & aliorſum transferri poſſe. Nec minus terror ac timor hancce cauſarum claſſem frequentiſſime ſubeunt; ſiquidem notiſſimum eſt, varia multaque individua, poſt adſpectum vel revera adhuc ægrotantium varioloſorum, vel eorum qui maculas in facie adhuc geſſerunt, vel funeris variolis extincti, eodem morbo correpta fuiſſe: ut taceamus eorum, qui ab auditu, quod in hac vel illa domo, quam tranſierunt, variolæ graſſentur, iisdem correpti fuerunt. Cujus rei cauſa ſoli affectui animi in ſe ſpectato haud adſcribenda eſt, quaſi a ſolo illo terrore, aut vi imaginationis ipſum miasma varioloſum in corpore generatum atque productum fuerit, aut morbus, deficiente cauſa materiali, generari poſſit. Sed maxime probabile videtur, in talibus, ubi hoc contingit, ſubjectis, miasma varioloſum jamjam hauſtum fuiſſe, atque in corpore latitaſſe, per animi vero affectum motum extraordinarium in partibus fluidis, æque ac ſolidis concitari, quo miasma illud extricatur, in motum proxime deducitur, aptumque redditur, ut vim ſuam in humores exerat: quo docemur, quanta inſit vis Animi pathematibus, in productione morborum, ſi modo fomes illorum præſto fuerit.

§. XXIV.

Dubium quis nobis movere poſſet, reſpectu hactenus pertractatæ cauſalitatis, in puncto contagii: quod nempe contagium ab aliis acceptum non ſemper, ad minimum, poſſit habere locum, quoniam exempla teſtantur,

tur, agnatos & fratres aliquando in diſſitis maxime locis & urbibus degentes uno eodemque tempore variolis correptos fuiſſe. Verum, præter quod nos contagium non unice ponamus in commercio cum perſonis infectis immediato, ſed in ſuperioribus jam declaraverimus, ex aëris conditione maligna aut inquinata primum contagium ortum ſuum capere; hic loci ſaltim monemus, nos ad ſympathiam, & magnetiſmum alias in ejusmodi caſibus ſuppoſitum, non refugere, ſed potius optandum eſſe putamus, ut ſingulæ talium caſuum circumſtantiæ, cum illis hiſtoriis probe notatæ eſſent; annon v.g. eodem tempore alii quoque in eodem utroque loco Variolis laboraverint, annon epidemica aëris conditio eodem anno pluribus in locis ſimilem produxerit morbum, & annon ſub ejusmodi circumſtantiis, forſan per litteras, vel internuncios, notitia de morbo alterius agnati aut fratris, ad hujus perveneri aures, eoque ipſo terrorem & timorem excitaverit: quod, ſi ſemper cognitum eſſet, ſane anſam præberet, ut modum productionis variolarum, in his quoque caſibus, plane naturalem agnoſceremus, nec ut ſumme admirandum a ſympathia peculiari deduceremus. Poſito tamen, quod ejusmodi caſus revera tales eſſent, quales ſimpliciter recenſentur, illi tamen ad rariſſimos pertinent, & exceptionem quaſi a regula communi conſtituunt; unde neque iis, quæ utplurimum fiunt, ex oppoſito contradicere poſſunt.

§. XXV.

Ad ſymptomatum nunc evolutionem devolvimur, quæ pro diverſitate temporum morbi varia exiſtunt atque diverſa: alia enim ſunt, quæ primam invaſionem comitantur; alia quæ eruptionem: alia ſub ulteriori variolarum progreſſu, ſuppuratione, & deſiccatione accedunt, & vel eſſentialiter ad morbum pertinent, vel ex accidenti, & in-

& individualibus cauſis accedunt, ideoque nec omni variolarum graſſationi in genere, nec omnibus ægrotantibus familiaria atque ſolennia exiſtunt. Ut itaque certam illorum habeamus cognitionem, ſymptomata ſolenniora ſecundum tempora morbi, ordine perluſtraturi, eorumque cauſas conſuetas ſimul indigitaturi; ab illis quæ ſub prima invaſione concurrere ſolent, exordiemur. Eſt autem ex illorum claſſe (quæ nempe non ſtrictius ad ſigna pertinent) in quibusdam *Somnolentia extraordinaria*, quæ utplurimum illis familiaris eſſe ſolet, qui temperamenti magis phlegmatici, ac indolis torpidioris exiſtunt; ideoque non tam ſymptoma morbi eſſentiale, quam magis accidentale conſtituit, ſab individuali diſpoſitione dependens: cum enim in ejusmodi ſubjectis a multa humorum ſeroſorum copia, nervoſum quoque genus laxius molliusque exiſtat, & Cerebrum copioſo tali ſucco obrutum ſit, non poteſt non minor inde ſequi ſenſibilitas partium nervoſarum, minorque fluidi nervei per nervos motus; unde externa ſenſoria ab objectis minus afficiuntur neque ab illis motus ad principium nervorum, vel ab hoc ad partes ſenſorias debite communicari poteſt; ideoque natura ad agendum minus excitatur. Aliquando mox ab initio invaſionis adſunt *Deliria* modo graviora, modo leniora. Hoc ſymptoma aliquando individuale & accidentale, aliquando vero eſſentiale eſſe poteſt. Individuale & accidentale vocamus, quando ſub variolarum graſſatione, non omnibus, aut plurimis ægrotantibus commune, ſed iis ſaltem familiare eſt, qui, vel plethora inſigni, vel ſpecialiter præ aliis, ſanguinis congeſtionibus gravioribus ad caput laborant, vel qui ex antecedente diætæ ac vitæ generis vitio, potibus inebriativis copioſe ingeſtis, tale quid ſibi compararunt: aut denique, quibus extraordinaria ſanguinis commotio orgaſtica, & ad caput

congeſtoria, ſub reliquo plethorico ſtatu, per medicamenta calidiora, curationis ſcopo exhibita, excitata fuit; quippe quæ cauſæ omnes, non ad morbum varioloſum ſpectant, ſed particulari connexione hoc ſymptoma producunt, quod alias æque facile abeſſe, ac adeſſe poſſet. Eſſentiale vero hoc ſymptoma nobis audit, ſi cum morbo ita conjunctum exiſtit, ut vel nulli, vel pauciſſimi ægrotantium, citra reſpectum ad individuales ejusmodi cauſas, ab ipſo liberi maneant: cujus rei exemplum allegare poſſumus de conſtitutione Variolarum epidemica de qua §. VIII. dictum eſt, cum per æſtatem calidiorem graſſarentur, ubi fere ad unum omnes mox die ſecundo graviter delirabant, ut ſæpe in lecto detineri non poſſent: qui ſtatus delirii continuabat, ad eruptionem usque variolarum, adeo ut præſentia delirii ſemper nobis indubitatum daret indicium Variolarum imminentium. De *Convulſionibus* & *Pectoris infarctu* cum ſuperius ſub ſignis jam actum fuerit, ea quæ dicta ſunt non repetimus; ſed ad alia progredimur. Sic quoque aliquando occurrit *Narium Hæmorrhagia*; ſub primis utplurimum diebus accedens, & eruptionem variolarum vel antecedens, vel concomitans: de qua iterum dicere haud licet, quod eſſentialiter ad morbum ſpectet, dum ſatis multi ægrotantium occurrunt, quibus plane non contingit, nec tamen minus feliciter variolæ cedunt: ſed quod potius utplurimum dependeat, a cauſis individualibus, ſtatu nempe plethorico, ſanguinis ad caput peculiari decubitu & congeſtione, hæmorrhagiæ narium conſuetudine, aut hæreditaria diſpoſitione: ubi in ſpecie ſæpiſſime obſervare licet, ex infantibus illos præcipue hæmorrhagiæ narium ſubjici, qui ploratibus multis ſanguinis decubitum ad caput invitarunt.

§ XXVI.

Idem dici debet de *Torminibus* & *Diarrhoëa*, quod nempe

nempe per accidens adveniant, & vel ſaburram mucido bilioſam in primis viis hærentem pro cauſa agnoſcant, vel quod ab ingurgitatione intemperata potuum, præcipue frigidorum aut feculentorum dependeant. Et licet aliquando Diarrhoëa a translatione materiæ excernendæ a peripheria ad centrum, vel a detentione illius diuturna, oriatur, nihilominus de illa affirmari nequit, quod eſſentiale variolarum ſymptoma conſtituat, cum ſub variolarum legitimo decurſu non adſit, ſed ab errore motuum excretoriorum dependeat. *Sternutatio frequens* haud raro variolarum eruptionem comitatur, nec tamen eapropter eſſentialiter a variolis in ſe ſpectatis dependet, aut ad illas pertinet, ſed variolarum ſymptoma ſaltem conſtituit, quatenus variolæ interiora narium obſident, atque in illis ſpecialiter eruptionem moliuntur: unde ſignum conſtituit quod variolæ in naribus ſint prorupturæ, cum materia illa acris ſub excretionis motu narium involventem membranam nerveam vellicet ac ſtimulet, ita ut ab hinc per conſenſum nervorum teneriorum motus talis excuſſorius ſequatur. Sub variolarum incremento & augmento, ordinarie accedunt *Dolores* & *Ardores* in cute, & quidem hoc tanto magis, quanto copioſius Variolæ cutim obſidere ſolent, tanto luculentiori indicio, quod hoc ſymptoma eſſentialiter ad morbum pertineat, & a gradu vorioloſæ efflorescentiæ dependeat: major enim exanthematum copia, de majore quoque materiæ acris excernendæ præſentia teſtans, cutim cum cuticula magis quoque afficit, ut ſenſum ab acrimonia inductum tanto intimius percipiat. Ejusdem conditionis exiſtit *Faciei intumeſcentia*, ſub progreſſu Variolarum ad ſuppurationem accedens: hæc enim eſſentialiter dependet ab elevatione puſtularum, quæ ſine copioſiore humorum affluxu penitus contingere nequit: ubi tamen notandum, hanc intumeſcentiam

faciei proportionatam eſſe, ad quantitatem variolarum faciem occupantium: unde non in omnibus idem ſupervenit gradus inflationis, quo minor enim variolarum numerus præſto eſt, eo minor etiam adeſt gradus intumeſcentiæ; id quod in genere in toto corpore obſervare licet: ſiquidem ex aliqua etiam parte, intumeſcentiæ majoris aut minoris cauſam concurrentem conſtituit Plethoræ major minorve concurſus. Ab eadem quoque cauſa dependet *Palpebrarum conniventia*, & temporarius viſus defectus: quippe quod utrumque ſymptoma copiam variolarum ſpecialiter palpebras ex utraque parte obſidentium pro fundamento agnoſcit; eoque ipſo teſtatur, quod non generaliter ad Variolas in ſe ſpectatas pertineat, ſed a variolis certam hanc partem occupantibus vel non occupantibus dependeat.

§. XXVII.

Refertur quoque ordinarie ad ſymptomata ſubſtatu morbi accedentia, *Febris novum quaſi augmentum*, & aliqualis exacerbatio, maturationem variolarum concomitans. Id quod utique ita ſe habet; cum enim ſub variolarum maturatione, materia in puſtulis incluſa mutetur ex tenuiore, in ſuppuratam, & hoc ſpecialem quaſi motum inteſtinum requirat, atque totum ſuppurationis negotium in parte ſolida ſine inflammatione ſuccedere nequeat, omnis autem inflammatio cum & ſub febre contingens, ſanguinis motum fortiorem tam inteſtinum quam localem ſupponat, non poteſt non tunc temporis febris aliquam pati exacerbationem: unde hoc ſymptoma ad eſſentialia morbi referimus, ſubinde tamen notando, quod non in omnibus individuis pari gradu obtingat, ſed gradus differentiam ab individualibus circumſtantiis accipiat. Sic enim ſub paucitate variolarum ſuppurantium, tantus motus humorum neceſſarius non exi-

ſtit,

ſtit, quam ſub majore illarum copia, & ſiquidem a dolorum acerbitate motus quoque humorum valdopere exacerbantur, ita pauciores quoque variolæ leviores cauſantur dolores minoremque producere poſſunt febris exacerbationem: hinc ſane accidit, ut aliquando apud infantes leviter decumbentes hoc ſymptoma, æque ac reliquus febris generalis acceſſus minus attendatur.

§. XXVIII.

Non minimi momenti inter ſymptomata hujus morbi exiſtit *Variolarum Depreſſio*, atque *Confluxus*: a quo Medicorum aliqui anſam ceperunt diſtinguendi Variolas, in diſtinctas, & confluentes, & ſemper has præ illis, deteriores declarandi. Dependet hoc Symptoma non eſſentialiter a morbo ipſo, quippe qui ſatis frequenter absque illo feliciter decurrit, atque decurrere poteſt, imo debet, ſed cauſam ſuam agnoſcit in multitudine Variolarum, quæ cutim undiquaque obſidens, elevationem diſtinctam ſingularum variolarum impedit, cuticulam a cute ſolvit, atque in majorem puſtulam attollit. Hujus ſymptomatis cauſa antecedens utplurimum conſiſtit in humorum nimia commotione orgaſtica; quæ vel originem habet a Plethora generaliter præſente, faciliusque commovenda: vel a Medicatione, aut regimine præpoſteris; quando v. g. ſub conclavium exæſtuatione, remedia calidiora & activiora pellentia propinantur, ad quorum claſſem merito referimus, myrrhata, fumariam cum ſuis præparatis, Tincturas Bezoardicas, Baccas Lauri, & Stercora varia animalium, equinum puta, atque ovillum, vini potum, atque injunctum poſitivum ſudorem: his enim ſanguis & humorum maſſa eximie exagitatur, atque in motum inteſtinum rapitur; quo materia miasmatica in illa hærens ſimul tanto magis commovetur, expanditur, acrior & ſubtilior redditur, ut inde ſub humorum ad pe-

 riphe-

ripheriam motu, major illorum fiat diſſolutio, magnaque & maxime moleſta exanthematum copia emergat, qua præſente cutis in totum obſidetur, nec ſingulis puſtulis exſurgendi ſpatium diſtinctum relinquitur. Id quod aliquando accidit ab anni temporibus eorumque conditione, humida nempe & calida, quæ ſæpiſſime etiam cauſa exiſtit impetuoſæ talis humorum commotionis, hujusque effectus; ut epidemicæ quaſi tales variolæ confluentes inde proveniant: ſicut etiam ſæpiſſime nobis obſervare licuit, quod hæc variolarum conditio, etiamſi neque epidemice adfuerit, neque perverſa medicatione producta fuerit, apud illos ægrotantes longe facilius acceſſerit, qui ſub tempeſtate pluvioſa & præcipue ſimul calida, decubuerunt, aut ubi maturationis tempore, vel verſus illud, tempeſtas pluvioſa coincidit; & quod ſiccior tempeſtas ſemper convenientior ſit variolis, præ humida.

§. XXIX.

Loco hujus modo citatæ confluxus variolarum, aliquando obſervare licet earundem, licet diſtinctæ fuerint, *corneam* quaſi *indurationem*, ut materia incluſa ad maturationem non perveniat, neque variolæ rumpantur, ſed ſub cornea facie perſiſtant; quod, ſi ſolum in volis manuum, pedumque extremitatibus & plantis contingat, attentionem non meretur, ſed a craſſitie cutis particulari dependet; ſi vero in aliis corporis locis, & quidem in plurimis variolis contingit, indicium eſt haud ſufficienter & debitæ ſuccedentis ſuppurationis, quæ haud raro per externam refrigerationem impeditur, ideoque ſatis frequenter funeſti eventus præſagium conſtituit. Fauces præterea aliquando ſingularia experiuntur ſymptomata; præter enim quod variolæ ipſæ fauces quandoque occupent, ipſisque ſuppuratione moleſtæ ſint: *Aphthæ* quoque ſuperveniunt, magnumque incommodum cauſantur, & hoc

qui-

quidem non ſolum apud infantes, quibus alias aphta ſolennes eſſe ſolent, ſed etiam apud adultiores, quibus ſpeciatim ſummam moleſtiam creant ſub alimentorum & medicamentorum aſſumtione, præter quod utplurimum mali moris exiſtant, ulceraſcendo fauces & oëſophagum aggrediantur, ſummumque ſæpius vitæ periculum inducant. Nec inſolita eſt huic adfectui ſuperveniens *Salivatio* aut *Ptyaliſmus*, aliquando ſummo cum impetu decubitus humorum contingens, ſimulque *Uvulæ relaxationem* producens; cujus ſymptomatis æque ac Aphtharum cauſam, quærendam atque ponendam eſſe putamus, in peculiari & individuali humorum congeſtione ad capitis confinia, quæ vel ex ætatis ratione, & hæmorrhagiarum prægreſſarum conſuetudine dependet, vel a medicatione exæſtuatoria, & ſanguinem exagitatoria producitur. Placet huius rei exemplum duplex illuſtrationis loco allegare: quorum unum obſervavimus in Sereniſſima Principiſſa Saxonica, annum ætatis 13. agente, plethorica, atque Variolis decumbente; quæ cum ab initio morbi Remediis expellentibus calidioribus myrrhatis, aliisque alexipharmacis ſub regimine poſitive calido ad diem morbi ſextum usque tractata fuiſſet, copioſiſſimis variolis obtinebat faciem obrutam, cum oculorum omnimoda conniventia & viſus defectu, ad decimum ſextum usque diem continuante, & ſub valde moleſto, variisque ſymptomatibus ſtipato decubitu, tandem variolas ſuperabat, ut circa diem decimum quartum deſiccari inciperent, eſcharæque cruſtaceæ ſucceſſive deciderent, palpebris iterum dehiſcentibus. Huic circa diei decimi ſexti noctem, nihil tale opinantibus omnibus præſentibus ſimul & ſemel intra horæ ſpatium, tantus eveniebat humoris mucidi viſcidioris, & inſtar albuminis ovi clari, decubitus atque affluxus continuus, ut ore aperto ſedens humorem conſtanter effluentem

entem in pelvim excipere cogeretur, & quidem ſub adjumento lenioris injectionis Infuſi Thée per ſyringam, pro diluendo humore ægram quaſi ſuffocante. Hic fluxus & affluxus ſummo ſui gradu durabat per ſex horas ſine omni intermiſſione; quibus elapſis, & in uſum vocata revulſione per Laxans atque Clyſterem, ſucceſſive quidem minuebatur, verum ad quartum usque diem perſiſtebat, ubi tandem penitus ceſſabat.

§. XXX.

Alterum exemplum conſtituit itidem Illuſtriſſimæ proſapiæ Virgo ſedecim circiter annorum, cui variolis decumbenti, a Generoſa quadam familia Arcanum aliquod remedium mittebatur pro defendenda ab inſultu variolarum facie, ſub promiſſione certa, quod, ſi mox ab initio illud adhiberetur, facies a variolis plane immunis ſit manſura, eoque ipſo fovearum proventus ac metus quaſi ſit deridendus. Conſiſtebat remedium illud in applicatione Olei Lini probe calefacti, cum linteis aut charta ſacharata applicatione ad plantas pedum, eousque ſub conſtanti repetione continuanda, donec eruptio variolarum abſoluta fuerit. Adplicabant agnati hoc remedium tanquam probatæ fidei, (contrarium licet nobis præſagientibus) maxima induſtria, diu noctuque calefactionem Olei repetendo: aſt effectus haud reſpondebat promiſſo; maxima enim ſanguinis & humorum ſequebatur commotio ad caput, ita ut, (quamvis in reliqua cura temperatiſſima adhibuerimus remedia) facies & caput maxime ſanguine turgeſceret, rubore perfunderetur, ſanguis ex naribus ſatis copioſe ſtillaret, & variolæ magna copia in facie efflorefcerent. Circa diem undecimum, ſtantibus in ſumma ſuppuratione Variolis, accedebant aphthæ, tanto impetu, ut trium horarum ſpatio tota faucium cavitas una cum oris labiis ita ob-

ſeſſæ

ſeſſæ eſſent, ut ne ſpatium quidem pro acu impungenda liberum maneret. Eodem tempore cum aphthis ſimul ingruebat perpetuus ptyaliſmus, qui omnem ſomnum turbabat ac impeditum reddebat, in quartum usque abhinc diem durans, quo elapſo tandem remittebat, ſimulque aphthæ cedere incipiebant: e quibus procul dubio pateſcit, hæc oris ſymptomata non ad eſſentialia morbi pertinere, ſed ortum ſuum a cauſis occaſionalibus utplurimum capere: quorſum aliqui Practicorum non ſine cauſa etiam referre ſolent antecedaneum forſan Mercurialium uſum, a quibus ſub morbo talis effectus ſequi poſſit. Placet tamen hac de re contrariam obſervationem ſatis curioſam hic inſerere. Ante aliquot abhinc annos caſu contingebat, ut fœmina, Sutoris cujusdam uxor, Medicum quendam nunc defunctum conſuleret tam de propria corporis infirmitate, quam de infantibus annuo tempore laxandis atque purgandis. Exhibebat Medicus ipſi Morſulos purgantes & quidem mercuriales, (de quibus tamen certo affirmare non poſſumus, an ex Mercurio dulci, an vero ex Turpetho minerali confecti fuerint) ſine certo quodam præſcripto utendi ordine, ſimpliciter jubens, ut per aliquot dies mane certam eorundem doſin ſecundum ætatis diverſitatem caperent; poſthabita omni debiti regiminis præſcriptione: Quid fit? Mater cum infante ætate minimo, qui mammas adhuc emulgebat maternas, incidit ſputationem frequentiorem, neſcientes unde hoc proveniat, neque eventum curantes: quamobrem nulli regimini curatiori addicti, aërem frequentabant, omnique genere ciborum veſcebantur. Graſſabantur interim Variolæ, a quibus infans, poſtquam per aliquot dies ſalivationem perpeſſus erat, ſub ſymptomatibus & ſignis ſolennioribus etiam corripiebatur: en! quam primum hic motus febrilis varioloſus inceperat, mox ſubſiſtebat in toto

F tum

tum omnis ſalivatio, quæ in matre ſatis lente continuabat; erumpebant Variolæ, quæ debito quoque atque legitimo more ſuccedebant, matureſcebant, ac deſiccatæ decidebant. Paucis poſt diebus elapſis ſponte iterum recurrit priſtina apud infantem ſalivatio, & quidem majore impetu quam antea factum fuerat, funeſtoque eventu: poſt duos enim tresve dies, macula cerulea nigricans, ſphaceli teſtis medium linguæ occupabat tenellæ, qui intra nycthimerum totam linguam penetrabat, miſerumque infantem e vivis ſuſtulit.

XXXI.

Alvi ſiccitas & *ſtrictura* poſitiva ordinaria quoque eſt in hoc morbo ſtatim a principio, & multoties per multos dies continue durat, ut dierum quatuor, ſex, octo, imo plurium ſpatio alvum non deponant: id quod dependet a motuum directione a centro verſus peripheriam; cum enim pro exanthematum excluſione, eorumque ſub cute ſufficiente & plenaria detentione humores ad glandulas cutaneas ferri debeant, & quidem in paulo majore quam ordinaria quantitate, neceſſario circa glandulas inteſtinales parcior humiditatis confluxus contingere debet; & quidem hoc merito, ne forſan motu ad interiora vergente, materia varioloſa intus detineatur, aut a peripheria retrocedat, & partibus internis nerveis nobilioribus graviſſimum damnum acceleret; & convulſionum cauſa exſiſtat, hæ enim partes minime omnium hancce materiam ulceroſam acrem tolerare poſſunt, quin tota oëconomia animalis inde turbetur. Sicut autem alvi obſtipatio in morbi initio, & ad deſiccationem variolarum familiarior eſſe ſolet; ita hac ſubſequente, aliquando, ſed paulo rarius, obtingit alvina excretio ſubcruenta & ſanioſa, quæ ordinarie teſtimonium præbet, aliquot variolas in primarum viarum canali fuiſſe, quæ nunc ruptæ ſaniem fundunt, &

nisi

niſi modum excedat hæc excretio, poſitive nihil mali poſt ſe trahere ſolet. *Fovearum* tandem *veſtigia* ultimum quaſi conſtituunt ſymptoma, quod inſtar conſectarii variolas comitatur: de quo notandum, quod utique ad morbum pertineat ejusque eſſentiale ſymptoma conſtituat; etiamſi enim haud pauci ægrotantium reperiantur, qui citra fovearum relictionem variolas ſuperarunt, ideoque dici poſſet, quod eſſentialiter a morbo non dependeat; tamen eo ad minimum ſenſu ad morbum pertinet, quatenus ab exulceratione facta ordinarie fibræ partis exulceratæ conſumuntur, unde cicatrices & veſtigia ordinarie remanent, ideoque foveæ præſentes ſemper de prægreſſa exulceratione profundiore cutis teſtantur: hæc enim quatenus levior aut profundior fuit, a majore materiæ ſuppuratæ acrimonia, aut inſufficiente variolarum elevatione, vera & unica fovearum cauſa exiſtit: quamvis aliquando occaſionaliter ſcalptiones manibus factæ, haud parum ad profundiorem ulcerationem cutis, foveasque producendas contribuant.

§. XXXII.

Prognoſis noſtri adfectus ſe dividit in generalem, & ſpecialem: quarum illa tam a priori, quam a poſteriori declarat, affectum haud periculo vacare: ſi enim rationem conſulamus, illa ſane dictitat, hunc noſtrum affectum ex multis capitibus periculoſum eſſe poſſe. Materiam enim expellendam ſi conſideramus, illa cauſticæ eſt indolis ad ulcerationem ſemper tendens, qua de cauſa illius diuturnior detentio, aut retroceſſio, circa partes internas nobiliores ac teneras, ſi ibi effectum ulceratorium ederet, inevitabile vitæ periculum promittit. Quodſi ab experientia & a poſteriori rem adſpiciamus, ſane in omnes notiſſimum eſt, febres exanthematicas & continuas, præcipue, quæ ad inflammatoriarum claſſem inclinant,

periculi plenas eſſe, & hanc noſtram febrem exanthematicam ita comparatam eſſe, ut ſemper, etiamſi in genere ſatis benigna exiſtat, tamen aliquæ ipſa decumbentes perſonæ, facili negotio per illam e vivis eripiantur: ne dicam, quod, quando paulo maligniorem induit indolem, maximas quoque ſtrages in genere humano edat. Specialior Prognoſis fundata eſt in diverſis circumſtantiis morbum comitantibus, vel ab ætate, temperamento, ſexu, vel a ſpecialibus ſymptomatibus, deſumendis, quam nunc in ſequentibus debito ordine proſequemur.

§. XXXIII.

Ætatem quod ſpectat in Variolis, ejusque in prognoſi conſiderationem; notiſſimum eſt ætatem infantilem & puerilem non modo magis ſubjectam eſſe variolis, præ adultiore & provectiore; ſed variolas morbum infantilem eam quoque ob rationem dici, quod hæc ætas feliciter magis easdem ſuperet, quam provectior, & quotidiana experientia teſtetur, ordinarie quaſi, numero pauciores infantes, quam adultos ipſis ſuccumbere. Hinc variolæ ſi ætatem adultiorem corripiant, pro morbo incongruo habentur, cum congrui titulum gerant apud infantes: neque deficiunt rationes hujus prognoſeos; adſunt enim in pueris copioſi humores lymphales, quibus materia excrementitia ad cutim propellitur, adeſt ordinarie, ad minimum in comparatione, laxior habitus corporis, qui neque eruptionem exanthematum impedit, neque ſuppurationis tempore tantis doloribus afficitur, qui ſpaſmos vehementiores producere poſſunt: nec tanto, imo utplurimum nullo afficiuntur animi angore de vitæ periculo in genere, vel de fovearum remanſione in ſpecie; quæ circumſtantiæ omnes, cum in ætatem provectiorem haud facile cadant, huic hunc morbum graviorem faciunt, ideoque majus indicant periculum. Quo provectior itaque ætas præſto

eſt;

eſt; eo magis periculum imminet ægris, tam ob ſtrictiorem corporis habitum, quam ob animi morales angores fere inevitabiles, a quibus motus excretorii mirum in modum turbantur alterantur. *Temperamenta* quod attinet, communis prognoſis eſſe ſolet, quod humidiora & ſucculentiora gravius decumbant præ ſiccioribus & macilentis, verum non poſſumus huic aſſerto in totum; tanquam abſolute certo, adhærere; cum frequentiſſime obſervandi occaſionem habuerimus, humidiora ſubjecta melius faciliusque evaſiſſe, quam ſicciora; ſi modo legitime tractentur. Utraque enim ſubiecta ſuas habent difficultates, ſiquidem in ſiccioribus eruptio variolarum paulo difficilior eſt, nec non ſuppuratio majoribus doloribus ſtipata exiſtit; propter fibrarum cutanearum majorem tenſionem & ſenſibilitatem; qua humidiora corpora tanto gradu non gaudent; e quo fundamento etiam ſiccioris conditionis perſonæ majorem incurrunt metum acceſſus facilioris convulſionum. Humidiora tamen ſubjecta ſuccique plena, graviora tunc patiuntur ſymptomata, & graviori periculo ſubjiciuntur, quando methodo calidiore, per remedia humores valde commoventia & regimen poſitive calidum, tractantur: tunc enim copioſæ ſubiiciuntur, imo nimiæ variolarum efflorescentiæ, quæ poſtmodum depreſſionis, confluxus, deficientis debitæ ſuppurationis, aliorumque funeſtorum ſymptomatum fundamentum præbet.

§. XXXIV.

Nec poſſumus quin anni tempora & tempeſtates in conſiderationem trahamus. Obſervavimus ſæpius, æſtatem in genere præ tempore autumnali, & vernali magis favere feliciori variolarum ſucceſſui, cum enim tempore æſtivo mutationes aëris ac tempeſtatis non adeo ſint ſolennes, quam tempore verno & autumnali, æquabilior manere poteſt ſanguinis & humorum per cor-

pora motus atque circulus, quippe quæ quoad partes ſolidas & fluidas, ab illis variis aeris viciſſitudinibus maxime & ſenſibiliter alteratæ, varias quoque patiuntur, tam excretionis periphericæ variationes ac viciſſitudines; quam humorum in qualitate & motu inteſtino alterationes: quodſi autem in ſpecie æſtivo quoque tempore aliquando ſimiles occurrant variæ vagæque mutationes, præcipue ad inſignem humiditatem cum calore inclinantes, ſane tum a ſolo tempore anni parum utilitatis ſpondemus in cura variolarum, cum ſemper & omni tempore humidior tempeſtas minus accommodata ſit variolis, ſed ſicca ordinarie feliciorem ſucceſſum præcipue reſpectu ſuppurationis promittat; & frequentiſſima nobis ſuppeditata fuerit occaſio, ubi deprehendere licuit, quod variolæ ſub tempeſtate humida, quaſi indubitate maiores poſt ſe reliquerint foveas, cum ſatis probabile, & in ſuperioribus jam evictum ſit, humidam aëris conditionem, (præſertim ſimul calidam) materiæ peccantis majori & intimiori commotioni favere, atque hoc ipſo eandem ad majorem acrimoniam cauſticam diſponere. De *Phaſibus Lunæ* apud aliquos viget ſententia ad minimum vulgi, quod aliquid faciant ad graviorem aut leviorem variolarum decurſum; quaſi nempe Luna creſcente in majore copia efflorescant variolæ, atque decubitum ægrorum faciant graviorem; decreſcente autem Luna utrumque non adeo ſit metuendum. Nos, cum talia ad hiſtoriam facti pertineant, & maximè primo in ſimplici veritate facti certa eſſe debeant, ſi prognoſin inde formare velimus, haud ſimplici vice ad hanc circumſtantiam attendentes, aliquid veri quidem ſubeſſe deprehendimus; dum varii ægrotantes ſub eadem medendi methodo, hanc differentiam confirmarunt; verum, cum non ſemper in Medici poteſtate poſitum ſit circa tales circumſtantias in omnia

alia

alia minima accidentia ut inquirat, & cauſæ concurrentes ad eundem effectum conſpirantes variæ eſſe poſſint, ſufficiat hanc circumſtantiam allegaſſe, eamque ulteriori obſervationi relinquere, ne forſan ſub adſtipulatione minus fundata, in re incerta fallaciam cauſæ non cauſæ commiſiſſe videamur.

§. XXXV.

A *Sexus* diverſitate in ſe ſpectata ſpecialem Prognoſin, circa feliciorem, aut magis funeſtum Variolarum ſucceſſum atque eventum formari haud poſſe putamus, cum ſola ſexus differentia huc parum conferat, niſi ad ſpecialiſſimos caſus animum adplicemus. Ita v. g. in ſexu ſequiore occurrit ſtatus graviditatis, qui utique maius in cutit periculum, propter metuendum abortum, ſicut enim gravidæ ſub omnibus acutis & exanthematicis febribus in genere maiori ſubiiciuntur periculo, ita hic quoque talis ſtatus ut morbus quaſi complicatus eſt conſiderandus; quapropter, ſi forſan abortiva foetus excluſio cum ſanguinis lochialis repentina profuſione accederet, ſane graviſſima motuum expulſoriorum turbatio metuenda eſſet, cum virium proſtratione, nec quidquam facilius accidere poſſet, quam exanthematum retroceſſio, cum convulſionum acceſſu. Sic Menſium quoque excretio, ſolennis exiſtens ſequiori ſexui quamprimum pubertatis terminum transcendit, dubiam reddere poteſt prognoſin: quodſi enim nec tempore, nec gradu legitimo, reſpectu periodi menſtruæ accedat, turbulentorum Naturæ motuum teſtis exiſtit, a quibus nihil boni ſperare licet: ſi vero legitime etiam menſtruo tempore eveniat, tamen ſi largior fuerit, motus a peripheria ad centrum revocare valet; & pro diverſitate temporum morbi vel variolarum eruptionem impeditam reddere, vel earundem retroceſſionem inducere poteſt. Quando autem neque ordinem

nem periodi, neque gradum evacuationis, vel impetu, vel quantitate, vel tempore durationis transcendit, in corporibus præcipue plethoricis nullum poſitivum quidem affert damnum, quin potius faciliorem promittit ſucceſſum negotii varioloſi, quale quid ante aliquot annos in Generoſiſſima virgine viginti annorum, cui cum variolarum eruptione, legitimo menſtruo tempore ſimul Menſes placide & blande erumpebant cum multo deliriorum æſtusque febrilis levamine, obſervare licuit: id quod etiam teſtatur Dolæus de Principiſſa Naſſovica, Encyclop. Med. L.IV.p.789.

§. XXXVI.

Symptomata ſpecialiora fundamentum Prognoſeos ſpecialis ſuppeditantia ſunt varia, partim efflorеſcentiam ipſam & exanthematum conditionem propriam, partim varii generis excretiones ſupervenientes, partim alias quoque res acceſſorias reſpicientia. Variolas ipſas quod attinet cum illarum efflorеſcentia, in genere notamus, omnem variolarum eruptionem placidam, modeſtam, tempore critico & ordinato fientem optimam eſſe: cuius ſignum eſt eruptio intra tertium & quartum contingens diem, quæ utplurimum cum duplici Nycthimero terminatur, & ſucceſſive ad finem pervenit. Ex oppoſito autem malam promittit Prognoſin eruptio Variolarum, quæ vel nimis præcipitanter, vel nimis ſero contingit. Mali ominis exiſtere præcipitantem eruptionem declaramus; ubi Variolæ ſimul & ſemel maxima copia protruduntur, utplurimum enim Natura vires motrices in principio nimium impendens, poſtea ſub ulteriori decurſu iisdem deſtituta, ſuccumbit, nec exanthemata locum ſuum tenent, ſed facillimo negotio, graviſſimo ægrorum damno, ad interiora retrocedunt. Quando autem nimis tarde erumpunt, & ad diem ſeptimum vel ulterius efflorеſcere pergunt, metuendum eſt, reliquias materiæ varioloſæ in maſ-

ſa

ſa humorum diutius hoſpitantes maiorem ipſi afficare labem, & corruptionis maculam, qua mixtio tandem diſſolvitur; & acrem illam materiam ad viſcera nobiliora & teneriora deponi, ibique tragoediam ſuam ulceratoriam in vitæ perniciem cudere poſſe: ne dicam quod Variolæ tarde erumpentes eandem requirant per totum tempus circumſpectionem & attentionem in regimine, quam primæ exquiſiverunt, easque retroceſſione pariter funeſtas eſſe quam priores. Præterea in genere pro certo habemus variolas magna copia ægros obſidentes maiore ſemper periculo gaudere, quam ſi ſparſim & modeſte, ſufficienter tamen erumpant, nec unquam obſervavimus, quod ex paucitate Variolarum in ſe ſpectata ullus ægrotantium mortuus fuerit, cum e contrario plurimi illorum quibus abundanter & in exceſſu effloruerunt, pereant ac moriantur; imo cum Sydenhamio adfirmare audemus, totius rei cardinem & felicis eventus conſecutionem, (quantum ex arte fieri poteſt,) in tempeſtiva & circumſpecta præoccupatione copioſæ & nimiæ eruptionis conſiſtere.

§. XXXVII.

Mali ominis quoque ſignum eſt, quando Variolæ inconſtanter prorumpunt, ita ut mox erumpant, moxque iterum recedant, interea enim perditur tempus, & conteruntur vires, ut debito ac iuſto tempore haud ad maturationem ac deſiccationem perveniant: dependet autem hæc inconſtans eruptio utplurimum a regimine patientis inquieto cui potiſſimum ſubjiciuntur, quando vel conclavibus calidioribus, vel remediis exæſtuantibus, ad incontinentiam ducuntur, ut immorigeri evadant, lectulos & integumenta abjiciant, & refrigerio admiſſo eruptionem exanthematum æqualem impediant; quibus ſub circumſtantiis ordinarie ita defatigantur, ut poſtmodum

vires pro ſuſtinendo morbo non ſufficiant. Quo magis Variolæ poſt eruptionem in altum aſcendunt, & rotunditatem circumferentiæ ſuæ ſecum ferunt, eo ſemper ſunt meliores bonæque notæ, diſtinctionem enim exanthemathum denotant, felicemque ſuppurationem, & ceteris paribus minorem de foveis metum incutiunt: quando autem ſeſſiles evadunt, & in medio altitudinis ſuæ deprimuntur, ita ut foveam conſtituat depreſſio, ſemper ſunt pejores, & raro ad veram maturitatem & ſuppurationem perveniunt. Notandum tamen eſt, Depreſſionem hanc & foveæ conſpectum non intelligi debere de illo punctulo depreſſo, quod ſtatim primo eruptionis die aut altero in omnibus Variolis apparet, hoc enim ſemper adeſt, parvum in apice puſtularum exiſtit, & nullum periculum infert, ſed de illa Depreſſione majoris ambitus atque momenti, quæ poſt elevationem jam factam circa maturationis tempus accidit, & retroceſſionis, ſi non totalis, tamen aliqualis index exiſtit. Longe pejor adhuc eſt hæc Depreſſio, quando in medio ſuo punctum quaſi lividum nigricans conjunctum habet: aut, quando inter reliquas variolas apparenter bonas hinc inde ſparſim aliæ cœrulei aut nigricantis coloris adparent, quas vulgus die Todten-Pocken appellat; utrumque enim coniunctæ ſummæ malignitatis ſignum conſtituit, & ordinarie ſine exceptione ferme Lethalitatem indicat.

§. XXXVIII.

Ad variolarum conditionem quoque pertinet illarum *Diſtinctio* & *confluxus*: ſunt itaque Variolæ plane diſtincte provenientes ſemper boni ominis; quo plus enim ſpatii inter ſingulas variolas intercedit, eo plus & melius extolluntur in altum & ad debitam perveniunt maturationem, nec adeo facile foveas poſt ſe relinquunt. Confluentes vero variolæ ſemper periculi ſunt plenæ, dum

enim

enim nimiam variolarum copiam ſibi invicem propinquarum pro fundamento habent, dolores, inflammatorios ardores, cum ſpaſmis producunt, præprimis in manibus, pedibus, aliisque partibus, quibus tendines potiſſimum ſubiacent; a quibus ſtricturæ & materiæ retroceſſio, cum convulſionibus internis & externis procedunt. Unde quoque eſt, quod liquor in eiusmodi variolis contentus ad debitam maturationem non perveniat, ſed utplurimum puſtulæ transparentes inſtar pelliculæ piſorum detractæ appareant, nec flaveſcant, & communiter multæ in unam majorem coeant, ac ſi ad maturationem aliquando pertingant, certiſſime foveas indelebiles poſt ſe relinquant. De reliquo melioris notæ exiſtunt Variolæ, quando non modo diſtinctæ ſunt ſed ſingulatim quoque rubeum circulum aut ambitum in ſua baſi habent: ſicuti enim tota variolarum eruptio & excluſio, æque ac illarum ſuppuratio absque ſufficiente & debito ſanguinis appulſu ad cutim abſolvi feliciter nequit, ita circulus ille rubeus in baſi hunc ſanguinis concurſum deſignat, & quamdiu conſtans ille exiſtit, bonum boni ſucceſſus ſignum affert: quando autem ambitus cum reliqua cute ſubſtrata pallet, indicium eſt minoris ſanguinis affluxus, metumque merito incutit, vel de inſufficiente omnis materiæ peccantis excluſione, vel de facili materiæ excretæ retroceſſione. Neceſſe tamen eſt, ut ille rubor boni ominis non ſit nimius, aut obſcuri cœrulaſcentis coloris; quippe quod inflammationis nimiæ, & metuendæ ſphacelationis haud obſcurum indicium eſſet.

§. XXXIX.

Ab Excretionibus variis Variolis ſupervenientibus, variæ quoque Regulæ prognoſticæ deſumuntur, dequibus nunc ordine erit dicendum. Prima itaque ſit *Narium Hæmorrhagia*, quæ aliquando Variolarum erup-

ptioni ſupervenit, aut illam antecedit; circa quam notandum erit, illam neque ſemper & abſolute bonam, neque ſemper & abſolute malam eſſe deprædicandam, ſed prognoſin diverſimode eſſe inſtituendam. Quando itaque in primo morbi principio Variolarum eruptionem antecedit, vulgus illam bonam judicare ſolet, ſpe fretus, minorem hinc ſequi variolarum copiam, quod exprimere ſolet in vernacula, die Patienten bluthcten viele Pocken weg: quod tamen non ſemper ſpei reſpondet, dum utique ſatis frequenter contrarium contingit, neque hoc ſine ratione; cum enim hæmorrhagiæ tales ſtatum plethoricum, vel ad minimum plethoram commotam & ſanguinis congeſtionem ad caput pro fundamento habeant, hæmorrhagia ſimpliciter talis pauciores variolas efficere nequit, niſi quantitate proportionata contingat. Interim a poſteriori obſervatio multiplex docet, infidum ad minimum eſſe hoc judicium: vel enim ſi ſtatus admodum plethoricus adſit, teſtimonium nimiæ commotionis ſanguinis & humorum inde reſultat, unde metus quoque nimiæ exanthematum eruptionis, huiusque inconſtantis ſucceſſus ſubeſt. Aut, ſi eximius ſtatus plethoricus non præſto ſit, larga tamen ſequatur narium hæmorrhagia, facile eruptionem retardat & impeditiorem reddit, materiamque excernendam in corpore deliteſcere ſinit, vires præterea proſternit funeſtumque ſucceſſum inducit. Multo magis autem ancipitis eventus, imo funeſti exitus eſt, quæ tempore maturationis, largiori profluvio accedit, hæc enim facillime exanthematum retroceſſionem, cum lipothymicis & convulſivis pathematibus producere poteſt. Etiamſi quoque parcior, & reſpectu quantitatis, exanthematibus ipſis fatalis non ſit; tamen minus ſecura eſt, dum de ſanguinis congeſtione ad caput, hincque facili ipſius circa caput, reſtagnatione, & inde pendentibus deli-

deliriis phreniticis, metum juſtiſſimum incutit; a quibus per indirectum refrigerationes, & variolarum retroceſſiones ortum perquam facillime capere poſſunt.

XL.

Diarhœæ variolis ſupervenientes, præſertim torminoſæ, vehementes, ac frequenter recurrentes, ſemper ſunt periculoſæ, ſive Eruptionis, ſive Maturationis tempore eveniant: illo enim eruptionem impediunt, hoc vero retroceſſionem inducunt. Contingunt tamen aliquando circa ſummum maturationis tempus, & ſicceſſentibus jam Variolis, Dejectiones cum materia ſanioſa aut purulenta, quæ niſi modum excedant, ſed bis aut ter ſeſe excipiunt, haud mali ominis exiſtunt, ſed variolarum intus ruptarum ſignum eſſe ſolent: quando autem nigræ, foëtidæ, multumque cruentæ exiſtunt, tunc ſignum ſphacelationis ſecum ferentes, funeſtum prædicunt eventum. Nec minus infantibus lactentibus magis familiaris eſt major alvi laxitas, & apertio quotidiana, quæ, ſi modo torminibus & ſpaſticis motibus non ſtipata fuerit, periculum non affert, aut mali ominis exiſtit; neque tamen negligi debet, ſed utique Medici attentionem requirit, ne nimia fiat, ſi enim quotidie binarium numerum excedat, ſuſpecta facile erit. Semper enim melius eſt alvum clauſam eſſe per aliquot dies, quam fluidam & laxam: quamvis neque timorem concipiamus, ſi quotidie, aut alternis diebus ſemel alvus aperiatur. Ita nobiscum quoque ſentiunt alii celebriores Practici, v. g. *Dolæus* in Encycl. Med. dicens: In genere alvum adſtrictam habere præſtat, quam fluidam: nec minus Illuſtris Noſter Hoffmannus inter ſymptomata Variolarum malignarum ao. 1698. graſſantium, earumque malignitatem declarantia notanter recenſet copioſam Seri per alvum excretionem: & Beatus Nenterus ait; *Diarrhoeæ in principio*

Variolarum earum excretionem impediunt, &, Alvi adſtrictio nunquam non in variolis melioris eſt conditionis, quam eiusdem nimia laxitas. Diarrhoëæ tamen maturationis tempore contingentes, in qua materia quaſi purulenta, cum ſquammulis excernitur, ſi moderate ſuccedit, non adeo eſt reformidanda.

§. XLI.

Aliæ excretiones ſi iungantur exanthematicæ v. g. Petechiæ, aut Purpura, ſummi periculi indicium exiſtunt; quamquam enim aliquando unum aut alterum individuum ſub tali rerum ſtatu, magno labore feliciter evadat, nullatenus hanc ob rationem periculum deficit, quin potius plurima illorum ſuccumbant: indicium enim eſt majoris malignitatis, & morborum complicatorum, quorum unus ſæpe ſufficit ſolus pro abbrevianda vita: tanto deterioris autem exiſtunt notæ hæc exanthemata, ſi vel copioſius adſint, vel coniunctim; vel petechiales maculæ loco rubedinis floridæ, cœruleo, livido, aut nigro; & purpura, albo gaudeant colore. Nec multam & largam Diureſin modum excedentem, pro bona habere poſſumus, quoniam de copioſo confluxu materiæ acris cauſticæ ad renes teſtatur, quæ ſtimulando acriter hanc nimiam excretionem proritat: unde plus ſimplici vice ſub nimia tali diureſi variolas retrocedentes, & cum convulſionibus mortem inducentes vidimus, eoque ipſo confirmati ſumus, omnes excretionum per interiora fientium ex ſtimulationes maximopere eſſe evitandas, cum materia illa acris in morbo præſente obvia, longe felicius & ſine damno per ignobile cutis colatorium excernatur, quam per ullum aliud.

§. XLII.

Quando aliorum morboſorum adfectuum complicationem patiuntur Variolæ, ſemper ſunt periculoſæ,

præ-

præcipue ſi graviores taleſque fuerint morbi, qui per ſe periculi pleni & ſontici ſæpiſſime exiſtunt: cujus generis ſunt pectoris infarctus & Catarrhus ſuffocativus in humidioribus ſubiectis; aut Dentitio difficilis in infantibus ſiccioribus. Sub illo enim, quocunque tempore ante exſiccationem variolarum accidat, indicationes curatoriæ eo tendunt, ut materia pectus obruens cito & vegete per alvum ſubducatur, id quod Variolarum curæ tunc temporis e diametro contrariatur. Hæc vero, etiamſi ſola adſit, ordinarie & fere ſemper convulſiva & epileptica ſymptomata comites habet, quæ tanquam Variolis ſolis quoque familiaria, in tali caſu reduplicantur & accumulantur, ita ut ipſis Infantes tanto facilius ſuccumbant, licet ex Variolis ipſis ſibi relictis adeo magnum periculum ipſis non immineat. Ubi tamen in mentem incidit, nos aliquoties caſum in terminis habuiſſe, & obſervaſſe, quod molimina dentitionis ante Variolarum invaſionem per tempus jam præſentia, ſupervenientibus variolis & Morbillis ceſſaverint, donec variolis penitus ſuperatis, Natura priores iterum motus ſuſceperit. *Motus convulſivi & epileptici*, ſi in morbi initio ante exanthematum eruptionem eveniant, moleſti quidem ſunt multumque angorem adſtantibus magis quam ægris cauſantur, ſed ordinarie ſi res bene cedit ſub variolarum eruptione ſponte quaſi remittunt, nec ullum damnum morbi decurſui adferunt, quin potius ſecundum multiplicem, & aliorum, & propriam obſervationem, eruptionem ipſam facilitent. Si vero poſt eruptionem accedant, aut recurrant peſſimi ominis exiſtunt, dum utplurimum poſt animi pathemata perpeſſa, aut externum refrigerium, & hinc orientem variolarum retroceſſionem oriuntur, & vitæ periculum ſummum indicant.

§. XLIII.

Quo gravior eſt ſub variolis *Febris*, & quo magis

ad inflammatorias inclinare videtur, eo deterior res eſt, præſertim ſi eo tempore adhuc duret, quo ſecundum rerum naturam remittere deberet, & variolæ jam ad declinationem vergunt, tunc enim de viſcerum nobiliorum inflammatione funeſta ſuſpicionem præbet juſtiſſimam. *Deliria* atque *Vigiliæ*, quamvis in ſe ſpectatæ ad variolarum decurſum parum faciant, tamen per indirectum illum turbare poſſunt; dum, ſicut præterea de ſtaſi inflammatoria circa cerebrum metum inferunt: ita ſub diuturniore duratione inquietudinem ægrotantium, cum refrigerationibus corporis, cum retroceſſione variolarum hinc metuenda, facili negotio producunt. *Intumeſcentia faciei* & extremarum partium variolis obſeſſarum, quæ tempore ſuppurationis ordinarie accedit, bonæ notæ eſt, ſi proportionata exiſtit, nec nimis cito ante ſuppurationis perfectionem evaneſcit; nimia enim ſicut inflammationis exceſſum cum dolorum acerbitate arguit & ſequitur, ita ipſius defectus, defectum quoque ſufficientis ſuppurationis indicat, & utraque mortis præſagium eſſe ſolet. Affectus ſomnolenti, comatoſi, aut lethargici, ut & lipothymici, cum ſtaſi humorum in capite magnam virium debilitationem arguunt, cum eventu funeſto. Reſpiratio difficilis anxia, & anhelituoſa, cum voce rauca, ſicut in aliis continuis aut exanthematicis malignis febribus funeſta eſſe ſuevit, ita non minus in variolis talis exiſtit, præſertim ſi ſingultuoſa ſymptomata comites habet. Ultimo tandem loco nec prætereunda eſt obſervatio Vulgi, quod nempe iis, qui licet ſatis copioſe variolas experti ſint, ſub plantis pedum tamen plane nullas habuerint, periculum novæ invaſionis immineat atque ſuperſit; illi autem quorum plantas variolæ occuparunt impoſterum ab illis immunes ſint: quam obſervationem, licet non pro abſolute & infallibiliter vera agnoſcere velimus, tamen nec

pro abſolute falſa deprædicare poſſumus; cum aliquoties ad minimum de ejus veritate generali edocti ſimus. De reliquo hæc obſervatio illis levamen afferre poteſt, qui variolis ſub plantis dotati fuere, ut poſtmodum intrepidi ſint animi, nec facile meticuloſa impreſſione ſibi ipſis noceant.

§. XLIV.

Hiſce ita præmiſſis & pertractatis, nunc ad Methodum medendi nos accingimus, eamque in ratione & experientia fundatam ſuppeditabimus; de qua dubium quidem moveri poſſet; an methodus generalis in tali quem deſcripſimus morbo tradi poſſit univerſalis, omnibus ægrotantibus competens & adplicabilis, cum tot & tantæ differentiæ individuorum, ſymptomatum, & circumſtantiarum ponderandarum occurrant, ut circa ſingulos fere ægros ſpeciali quaſi opus ſit methodo, & judicioſa diſcretio Medici requiratur, num uni idem quod alteri competat aut noceat: ad quod tamen paucis reſpondemus; Methodum utique generalem, Morbo eſſentialiter competentem ſecundum rationis & experientiæ leges ſemper adplicabilem præſcribi & ordinari poſſe, non obſtante, quod in ſingulis quaſi individuis reſpectu ſymptomatum, ætatis, temperamenti diverſorum, circa ordinem, tempus, gradum applicationis methodi, ſelectum magis accommodatorum remediorum, eorumque doſin, aut continuationem, judicioſus eſſe debeat Medicus, ut modo aliquid addere, modo ſubtrahere poſſit & ſciat; ſiquidem hoc in omni morbo ab ipſo exigitur. Cum itaque in antecedentibus expoſitum ſit, Materiam varioloſam non eſſe craſſam, ſed ſubtiliorem halituoſam miasmaticam; ſub effluviis communicabilem: ejus indolis ut ſemel cum humoribus in motum redacta corruptionem ulceroſam poſt ſe trahat & in ſolidis partibus producat:

eamque nullo modo in corpore corrigibilem exiſtere, ſed unice per ſecretionem & excretionem, ſui eliminationem requirere & admittere; ex his præmiſſis in quotidiana obſervatione fundatis, ſane optimo jure concluſionem ſequi putamus, 1. quod Materia ſubtilis halituoſa per organa craſſiorum excretionum haud congrue excernatur, ſed ſubtiliorem quoque excretionis modum requirat: 2. quod propter ulceratoriam qua ſemper gaudet indolem nequaquam diu in humorum latifundio manere, aut ad viſcera interna nobiliora deponi debeat, ne illis læſionem ulceratoriam, oëconomiæ animali maxime nocivam inducat: ſed 3. quod potius per cutim eiusque peripheriam, tanquam partem ignobiliorem, & materiis ſubtilioribus halituoſis excernendis magis idoneam ac aptam optime e corpore eliminari poſſit. Prima & principalis itaque Indicatio a Medico obſervanda neceſſario conſiſtit, in Eruptionis & efflorescentiæ Variolarum juſta, debita ac tempeſtiva vel conſervatione, vel facilitatione, promotione ac moderatione: cui alteram jungimus, ſymptomatum accidentium quam poſſibilem ſublevationem, & mitigationem, aut tempeſtivam Præoccupationem.

§. XLV.

Sub primæ indicationis commendatione duplex indigitamus Medici officium circa Variolarum eruptionem obſervandum, unum, quando Natura ſuo officio rite fungitur: alterum quando hæc deficit, aut errorem in gradu committit. Ubi itaque ipſa Natura debite ac legitime agit in exanthematum expulſione, & neque defectu, neque exceſſu motuum peccat, ſed variolæ debito tempore, ordine, & gradu, critice, placide & tempeſtive erumpunt, ſuamque eruptionem continuant, ibi Medicus neque promotionem, neque moderationem eruptionis

nis intendat, ſed ſoli placidæ eruptioni variolarum conſervandæ, ſtudeat: id quod fieri poterit ſolo regimine temperato, blande calido, omnemq; refrigerationem poſitivam excludente, ita ut magis efflorefcentiæ impedimentum præcaveat, quam ipſius promotionem curet; ubi enim ſufficienter & ordinate agit Natura, ibi artis auxilio in tantum non opus eſt. Cum autem haud ſemper omnia ita ſponte in hoc negotio ſuccedant, ut plane nihil circa naturæ operationem ſit deſiderandum; & facillimo negotio exceſſus in motibus expulſoriis, etiam a cauſis occaſionalibus, occurrat, omnium maxime a Medico requiritur officium Moderationis debitæ atque legitimæ: antea enim jam indigitatum eſt, plurimos varioloſorum ex abundantia, pauciores longe, ex paucitate exanthematum ſuccumbere, unde ſane ratio ſuadet, eo maxime ſtudendum eſſe, ut copioſa & nimia Variolarum eruptio præcaveatur. Huc tendit Sydenhamii, aliorumque hunc ſequentium conſilium, quod ægri ante tertium aut quartum diem non ſint lecto affigendi, ne calore præpoſtero humores nimium exagitentur, & variolæ funeſta copia erumpant. Monemus etiam ex noſtra parte fideliter, primis ſtatim morbi diebus, ubi ſigna imminentium variolarum manifeſta, aut probabilia adſunt, abſtinendum penitus eſſe ab omni calore externo conclavium atque lectulorum eximio, cum nihil deterius eſſe poſſit, quam hoc modo ſanguinis orgaſmum concitare, & eo ipſo ad miaſmatis morboſi maiorem expanſionem, ſubtiliſationem, & exaltationem ſymbolum conferre: longe minus concedenda eſſe alexipharmaca calidiora, Myrrhata cum vinoſis propinata, volatilia, Urinoſa, Bezoardica: quorſum quoque referimus euporiſta illa remedia vulgo uſitata, ex Aqua Fumariæ, Semine Naſturtii, aut Stercore equino, vel ovillo, quæ communiter cum Vino-

rubro propinari ſolent. Triſtiſſima enim, eaque nimium proh dolor cognita obſervatio docet, ordinarie illorum uſum tantam expulſionis vim exerere, ut deinde moderatio eruptionis ſit impoſſibilis, & quaſi ſine exceptione plurimæ Variolæ confluentes hinc oriantur: ut ſane optandum eſſet, lege publica talium evporiſtorum uſum e cura variolarum proſcribi. Cum autem Sydenhamii conſilium, quoad intentionem quidem bonum, non ſemper ex aſſe quadret, aut applicabile exiſtat, dum Medicus quidem, ſi ſemper præſens eſſet, variis incommodis refrigeratoriis actualibus proſpicere poſſet, quod tamen ab adſtantibus non ſemper ea cura & ſollicitudine peragitur ut res poſtulat, nec omnes ſine exceptione ægri propter febrim, viriumque jacturam extra lectos & in orthoſtadia detineri queant, conſultius in genere obſervavimus omni tempore, præcipue ubicunque notorie febris concurrit, ſi ægri quidem lectulis concredantur, & blande ad excluſionem poſitivi frigoris tegantur, per primos vero tres quatuorve dies, remedia fixa diapnoica, & nitroſa, cinnabarina, in uſum trahantur, atque his ſimpliciter, vel in forma pulverum, vel adiectis Aquis temperatis Ceraſ. fl. Tiliæ, Samb. Chærefol: in forma Potiunculæ Syrupo Acetoſit. Citri, vel Rub. Id. edulcorandæ, cura continuetur & adornetur, donec ipſa Puſtularum eruptio blanda & placida in conſpectum veniat.

XLVI.

Procedente ita Variolarum eruptione, nequidem opus habet Medicus, ut a prædicta methodo, niſi in tantum, deſiſtat: ita nempe, ut diapnoico-abſorbentia conſtanter exhibeat, præcipue acido Citri ſaturata; Nitroſa vero ſecundum Febris concurrentem gradum aliquantiſper imminuat, ne nimia forſan refrigeratione ipſam eruptionem impediat aut tardiorem reddat, quapropter

ægro optime conſulet; imo futurorum ſymptomatum variorum reſpectu proſpiciet, ſi modo Pulveres pure abſorbentes & diapnoicos ex Lap. 69. Antim. Diaphoret. C. C. S. Igne ppt. exhibeat, modo eosdem leviter nitratos alternative propinet; quibus obſervatis ſub debito regimine ſic ſatis bene eruptio exanthematum ſuccedere ſolet. Quo magis vero Individua calidioris temperamenti exiſtunt, aut ex antecedentibus cauſis & diæteticis erroribus commiſſis, imo tempeſtatis concurſu, maior ſanguinis abundantia aut commotio orgaſtica præſto eſt, eo magis ex uſu erit conſtans nitratorum pulverum continuatio usque ad incipientem ſuppurationem: & hoc modo ſub attenta & patienti expectatione optima methodo placidam & tempeſtivam variolarum eruptionem Medicus prudens moderabit, in quo ex noſtra quidem ſententia maximum felicis curationis artificium conſiſtere credimus.

§. XLVII.

Quodſi vero ex Præcordiorum anxietate continuante, aut ex Puſtularum adſpectu adpareat; Variolarum eruptionem nimis tarde & languide procedere; id quod dijudicari poteſt, vel ex nimis parco exanthematum numero, remanente præcordiorum anxietate: vel ex nimis tarda illorum eruptione, ut nempe non æqualiter, ſed ad ſeptimum usque diem, vel ulterius erumpere continuent, (ex multiplici enim obſervatione compertum habemus, ſub ordinario & legitimo ſucceſſu omnem efflorescentiam in ſe ſpectatam intra diem quartum & quintum abſolvi, ita ut nova exanthemata poſthæc non amplius erumpant) vel ex nimis tarda variolarum exaltatione & elevatione in altum, quippe quæ intra ſeptimum abſolvi debet diem: tunc licitum non modo eſt Medico, ſed incumbit ipſi, eruptionem & elevationem exanthematum debito modo facilitare, imo per artem promovere.

vere. Si enim hæc omnia debito tempore non rite procedant & ſuccedant, juſtiſſimus ſubeſt metus, nec ſuppurationem & maturationem legitimo ordine & tempore ſucceſſuram eſſe, eoque ipſo varia moleſta ſymptomata cum dubio eventu eſſe metuenda. Nullatenus tamen hic quoque quis ſpem ſuam reponat in poſitivis Alexipharmacis, & Bezoardicis calidioribus remediis, aut regimine poſitive calido, & diaphoretico, quod per totum curationis tempus plane exulare, & evitari debet, ſed leniora quævis, & fixa diaphoretica hunc in finem eligantur. Commendamus hunc in finem interpoſitum uſum Pulveris Pannonici rubri, cum ſupra laudatis Nitroſis, aut abſorbentibus citratis, ad dimidias mixti, & pro diverſitate ætatis ad grana X. XV. aut Scrupulum bis aut ter de die ſumendi, ita, ut quo magis forſan plethora urgeat, & excluſionem exanthematum impediat, eo conſtantius nitroſa jungantur; in ſubiectis vero ad phlegmaticum magis temperamentum inclinantibus & ſegnioribus Nitrum omittatur. Nec male actum erit, ſed potius maxime proficuum, ſi loco talium pulverum, Emulſio ex Seminibus Card. Mar. Napi toſto, & Aquileg. cum iisdem quam ſupra laudavimus Aquis parata, & Antimonio Diaphor. C. C. philoſ. ppt. Lapid. Cancr. ppt. vel citratis, & ſi neceſſitas poſtulaverit, Pulvere Pannonico maritata cochleatim, usque ad maturationem variolarum incipientem ſumenda binis horis porrigatur. Id quod etiam ſine ulla innovatione continuandum aut repetendum commendamus atq; ſuademus, ſi forſan ipſa ſuppuratio quoque nimis tarde ſuccedat, aut variolæ non ſufficientem debito tempore acquirunt elevationem. Si autem maturatio & ſuppuratio ſponte procedat, & nullus circa illam deprehendatur defectus, cavendum eſt, ne nimium quid moliatur Medicus, ideoque hæc etiam a nobis commendata

reme-

remedia leniter pellentia haud ſuademus, ſed præſtat & ſufficit, ſolis Abſorbentibus, cum Antim. Diaph. mixtis, aut Potiunculis diapnoico abſorbentibus, ſine additione Seminum, & Pulveris Pannonici, curam penitus abſolvere; eaque ad cruſtarum ſive Eſcharæ deſiccationem continuare. Hæc hactenus propoſita pro legitima primæ indicationis obſervatione & applicatione ſufficere poſſunt, nec aſſerere veremur, quod ſæpiſſime pro abſolvenda tota cura penitus ſuffecerint, cum dicta & rite obſervata Methodo plurima & ſæpe graviſſima ſymptomata, vel a Regimine incongruo, vel a Medicatione præpoſtera dependentia, facillimo ſane negotio præſcindantur, & præoccupentur; iis autem, quæ ad eſſentiam morbi ſpectant & inſeparabiliter illi adhærent, ita quoque in genere proſpiciatur, ut facilius tolerentur.

§. XLVIII.

Cum tamen notiſſimum ſit, quod Symptomata huic morbo accedentia facile citra Medici intentionem, ab adſtantibus & famulantibus, occaſionalibus ſuppeditatis cauſis, excitentur, ea autem quæ ordinarie adeſſe ſolent, graviora reddantur, neceſſe eſt, ut alteram curationis partem in eo ponamus, ut Medicus eſſentialium ſymptomatum ſublevationi, accidentalium vero poſſibili præoccupationi; aut, ſi nihilominus acceſſerint, circumſpectæ remotioni ſtudeat. Ne itaque ex Regimine perverſo noxium quid ipſi accidat, operam conſilio ſuo impendat Medicus, ut ægri ſemper æquabili conclavium & lectorum calore gaudeant, ne denudationibus & jectigationibus corporis vel univerſalibus, vel particularibus, aut primo tempore eruptionem variolarum impediant, aut poſtea earundem retroceſſionem inducant. Circa ciborum Potuumque ingeſtionem cura quoque adhibeatur, ne ven-

ventriculus nimia ciborum quantitate gravetur, aut ex eorum qualitate adverſa incommodum accipiat: quapropter evitare jubemus, Fructus horæos recentes, ſucco fermenteſcibili dulci præditos, alia quoque dulcia, ſacharo condita, mellita; quæ accedente forſan potu, facillime ad Diarrhoëas ſonticas diſponunt: nec non diſſuademus cibos concoctu difficiliores, ex quorum ingeſtione, cardialgiæ, vomitus, & nauſeæ ſæpius naſcuntur: nec Potum admittimus Vinoſum, ſpirituoſum, dulcem fermentativum, aut actu frigidum, a quibus omnibus varia incommoda, tam ratione nimiæ ſanguinis commotionis, quam reſpectu Diarrhoëæ, & ſubſequentis retroceſſionis exanthematum, oriri poſſunt ac ſolent. E contrario ſuademus & præſcribimus Diætam tenuem ex cibis eupeptis, juſculis hordeaceis, Ovis ſorbilibus, carnibus paucis, aut nullis, aut ad minimum tenerioribus Pullorum gallinaceorum, Caponum, Columbarum, vitulorum; excluſa carne bovina, verfecina, ſuilla, anſerina. Potum commendamus dilutum, cereviſiarium bene defecatum, non actu frigidum, neque tamen poſitive calidum, ſed omnis frigoris expertem; & ſi conditio ægrorum id ferat interpoſitos potus calidos Thée & Coffée; ut ita Patiens in liberiore, non tam actuali ſudatoria excretione, quam potius Perſpirabilitate æquali humidiuſcula conſervetur. Nec quisquam miretur, quod ſub hac generali ſymptomatum præoccupatione commendanda nullam remediorum pharmaceuticorum fecerimus mentionem, nos enim certo perſuaſi ſumus, atque per multiplicem experientiam edocti, plus hic obtineri conſilio diætetico, & regiminis debiti obſervatione, quam multorum remediorum pharmaceuticorum ingeſtione: cum præterea ea, quæ circa uſum Medicamentorum, tanquam huc ſpectantia, obſervanda veniunt, jam ſub primæ indica-

dicationis explicatione indigitaverimus. Reſpectu potus Coffée incidenter adhuc monemus, quod in illis ſubiectis, quibus in ſtatu naturali potus Coffée vel flatulentas anxietates, vel ſingularem & notoriam alvi ſolutionem excitare ſuevit, cautus ipſius requiratur uſus, ne forſan anxietates præcordiales, aut diſpoſitio ad dubii eventus Diarrhoëam, præter neceſſitatem excitentur.

§. XLIX.

His præſervatorio generaliore reſpectu præmiſſis, ad ſpecialiora tam præoccupanda, quam removenda ſymptomata animum dirigimus, & ea, quæ vel ſæpe & quaſi ordinarie, vel aliquando ad minimum accedunt ac ſuperveniunt, ordine nunc perluſtrabimus, noſtramque in ratione & experientia fundatam ſententiam circa illa exponemus. Cum itaque ante omnia ordinarie quaſi ſua peculiaria ſymptomata patiantur, Oculi, Nares, & Fauces, a quibus deinde multum moleſtiæ naſcitur in reliquo morbi decurſu, neceſſitas ſane poſtulat, ut mox a principio harum partium defenſioni tempeſtive ſtudeat Medicus, &, quantum poſſibile Variolarum vel omnimodum, vel ad minimum copioſum præſcindat in his partibus proventum. Oculos quod concernit, hic nobis ſermo eſt, non de Palpebris earumque a variolis occupatione, (cum hæc in genere a parca aut copioſa in facie efflorescentia dependeat, & ſi quis artificio gaudet ac pollet, quo confidenter in facie paucas expectare poteſt variolas, huic etiam ſymptomati ex parte occurrere valeat,) ſed de Variolarum eruptione in oculorum bulbo, ejusque exterioribus tunicis, albuginea nempe aut cornea: de quibus triſtiſſima obſervatio teſtatur, quod haud raro a puſtulis varioloſis hic naſcentibus erodantur, perfodiantur, ſimulque viſus in totum perdatur. Huic ſontico malo ut occurratur præſervato-

rio ſcopo, mox a primo invaſionis tempore opponimus inflationem halitus aromatici, a Baccis Lauri, Caryophyllis, ſemine Aniſi, aut Foëniculi, maſticatis, ſæpiſſime applicandam, & ad remiſſionem eruptionis usque continuandam, effluvia enim illa aromatica ſubtiliora ſalino ſulphurea in teneris ac ſenſibilioribus Oculorum tunicis motum criſpatorium & ſubtiliter quaſi ſtrictorium excitant, ut humorum ingreſſum ac ſtaſin non ita facile admittant; nec non in exteriore oculorum ſuperficie mucoſitates abſtergendo occaſionalem puſtularum prorumptionem præcavere poſſunt: e quo fundamento non minus ſimilem Camphoræ uſum, non modo ad præſervationem, ſed etiam ad curationem præſentis iam ſymptomatis, non ſine fundamento commendare poſſumus. Nec vulgi experimentum hic rejiciendum eſt, quando eodem modo & ſcopo Allium commendat, atque in uſum vocat, niſi gravis ipſius foëtor ipſis ægris æque ac adſtantibus nimium adverſus, & ad lipothymias diſponens, moleſtus fuerit, quapropter ruſticæ genti magis accommodatum eſſe ſolet. De reliquo obſervandum eſt, quod Oculis non modo ſub Morbi præſentia, ſed poſt morbum etiam ſuperatum, multum detrimenti, per productionem Lippitudinis, Ruboris, Viſus debilitationis, Ophtalmiæ chronicæ, afferat Luminis adſpectus ac immoderatus acceſſus, Librorum lectio, ac Fletus: unde cura gerenda eſt, ut ægri ita collocentur, ne ex nimio luminis adſpectu dolore afficiantur, aut aliud incommodum accipiant. Fletus occaſio infantibus quantum poſſibile ſubtrahatur, ne frictione oculorum humorum decubitus invitetur, & ophtalmiæ excitentur. A Librorum lectione, & lucubratione nocturna, aliisque laboribus prope candelam perpetrandis ſtatim poſt variolas ſuperatas abſtineant ægri, niſi iisdem affectibus moleſtis & diuturnis ſubjici

jici velint. Coalitus palpebrarum a materia variolarum ſuppurata, quæ limbum palpebrarum occupare ſolent, ſæpius quoque aliquod poſtulat conſilium & auxilium, circa quod notandum, urgentiſſimum ſymptoma hoc quidem non eſſe, ſed facile patienter tolerari poſſe, melius quoque eſſe, ſi absque multis artificiis toleretur: cum vero vel ægroti, vel adſtantes illud non ſemper expectare velint, circa deſiccationem illarum variolarum, ubi materia ſuppurata hic loci eſcharam format, ciliaque conglutinat, concedi poteſt illinitio ciliorum modeſta & moderata cum lacte muliebri pauxillo croci tincto; ſed ſimul cavendum, ne ſub prima oculorum apertione, violentia quadam palpebræ diſtrahantur, & Cilia evellantur; quotquot enim illorum hoc modo & tempore evelluntur, tot quoque denuo non ſuccreſcunt, ſed oculorum lippitudini, & deturpanti rubori perpetuo anſam præbent. Quidquid alias de uſu amuletico Radicis Morſus Diaboli, vel de tactu oculorum in circumferentia cum Hyacyntho aut Turcoide auro incluſis, ad liberationem oculorum a variolis deprædicari ſolet, ab experientia confirmare non poſſumus, quapropter talia aliis relinquimus.

§. L.

Naribus conſulitur, ſi verſus maturationis tempus præſentibus intra nares variolis, Oleum Ovorum, Amygdalarum, aut Nucum in cavitatem narium immittatur: aut ſi actu Variolarum acris materia cum metu corruptionis ulceroſæ illarum ſubſtantiam penetraverit, oleum Myrrhæ per Deliquiũ paratum cum oleo Ovorum mixtum optime conducit, ſub cuius uſu monendi ſunt ægri, ut immodeſta ſcalptione, aut narium intempeſtiva evacuatione cum acubus vel aliis inſtrumentis, ſibi parcant, ne naribus infirmis damnum afferant, quemadmodum nobis tale conſtat exemplum, ubi Virgini, hoc modo Naſi

apex, maximo cum terrore, & repentina ex terrore morte, decidit. Fauces cum ſæpenumero circa uvulam & tonſillas a variolis infeſtentur, ut haud levis metus ſubſit, de ſuffocatione, aut de Oeſophagi ſuperioris partis inflammatione funeſta, ſane omnium primo quoque eo invigilandum eſt, ut eruptio Variolarum in faucibus quantum poſſibile præcaveatur: quapropter mox a principio invaſionis conſulte agitur, ſi colli denudatio evitetur, illudque linteis, aliisve integumentis obtegatur, ut in externis colli confiniis mediante calore externo eruptio particulariter promoveatur: nec inconſultum ſed maxime proficuum erit, ſi primis diebus, & vigente generaliori efflореſcentia, frequenter fauces bono Spiritu Vini colluantur, aut eius in locum Eſſentia Pimpinellæ, albæ lenior, partim pro Oris collutione, partim pauciſſimis guttis cum pauxillo Sachari deglutienda, ſubſtituatur: quo longe melius faucibus certiusque proſpicitur, quam circumvolutione fili ſericei rubri Theriaca Andr. imbuti.

§. LI.

Narium Hæmorrhagia quæ vel ante exanthematum excluſionem, vel ſub illa, aut ſuppuratione coëpta aliquando accedere ſolet, ſymptoma eſt, quod Medico dubium promittere poteſt eventum, ſiquidem hoc §. XXXIX. jamjam demonſtravimus, quamobrem neceſſe eſt, ut Medicus ſub illius præſentia ſecundum neceſſitatem & utilitatem agat, ut neque in exceſſu, neque in defectu peccet: quapropter ſumma hic opus eſt prudentia & circumſpectione, ne nimis præcipitanter Hæmorrhagiam ex intempeſtivo metu inevitabilis noxæ ſupprimat; præſente imprimis urgente ſtatu plethorico, vel ex oppoſito liberum nimis illi concedat profluvium, ubi n etus juſtus atque legitimus facilis exanthematum retroceſſio-

nis,

nis, ſive directe, ſive per indirectum acceſſuræ, ſubſit: Ex noſtra quidem ſententia ſemper narium hæmorrhagia felicius & ſine damno toleratur, ante variolarum eruptionem, præ illa quæ ipſam eruptionem jam præſentem comitatur, aut illi ſupervenit, quo tardius enim accedit, (excepta morbi plenaria declinatione; ubi tamen oppido rara exiſtit) eo magis exanthematum effloreſcentiam turbatam, inconſtantem, atque ſuſpectam reddit, & Medici circumſpectam meretur attentionem. In quo caſu ipſi incumbit, partim per ſanguinis contemperationem per Nitroſa impetum ipſius refrenare; partim, ſi hæc ſola non ſufficiant, per remedia externa amuletica aut ſympathetica vulgo dicta illam in ordinem reducere, quem in finem uſum externum Pulveris Sympathetici Dygb. aut Bufonis exſiccati commendamus; omni modo autem ſuppreſſionem hæmorrhagiæ violentam repentinam per adſtringentia, aut refrigerantia poſitiva, imo actu frigida remedia externa, ſuſcipiendam diſſuademus: quod, ſi circumſpectus Medicus attendat, ex conſcientia aget in caſu quoque dubio, haud enim inficiamur, exactiſſimam hic legem præſcribi non poſſe, quin potius a iudicio diſcretivo exercitati & conſcientioſi Medici huius ſymptomatis toleratio aut cohibitio dependeat, & aliquando caſus accidere poſſit plane ſpecialis, ubi ad levioris quoque hæmorrhagiæ cohibitionem cogitur Medicus, quam in alio forſan caſu vix cohibitione dignam æſtimaret. Sic in Illuſtriſſimo quodam Comite ante annum & quod excurrit, ſub eruptione Variolarum legitime procedente & apparente, ac variolis optimæ notæ, Hæmorrhagia narium accedebat, copia ſua minime metuenda, & vix Uncias tres ſanguinis evacuans, nedum ſuperans: verum cum Illuſtriſſimus æger eximia laboraret hæmophobia invincibili, ex conſpectu ſanguinis tantum incidebat me-

tum animique perculſionem, ut irritis omnibus remonſtrationibus ad eximendum metum prolatis, tremorem totius corporis artuumque extremorum, cum deſperabunda anxietate, extremorum horrore & frigore, nec non incipiente baſeos variolarum pallore incideret, ut exanthematum retroceſſio & convulſiones proximæ eſſent metuendæ, neceſſitas ſuadebat, pro animi tranquillitate reducenda, aliisque graviſſimis turbis avertendis per externa talia amuletica remedia ſanguinis ſtillicidium ſiſtere. Neque ſane Medicus de hæmorrhagia tali, etiamſi in principio lenis fuèrit, adeo certus & ſecurus eſſe poteſt, quin ex improviſo plane impetuoſa & incompeſcibilis evadat; quale quid eodem fere tempore contigit in Puella illuſtri, annum ætatis ſextum agente; quæ ante variolarum eruptionem die nempe tertio, ſanguinis corripiebatur ſtillicidio e naribus ſatis placido, leni, & minime copioſo; cui neque quidquam pro cohibitione opponere neceſſum erat; verum die quinto, cum ſtigmata variolarum jamjam in cute ſatis conſpicua eſſent, mane ſimul & ſemel citra omnem datam occaſionalem cauſam, ſanguis denuo prorumpit, & quidem tanta vehementia tantoque impetu, ut plane incompeſcibilis eſſet, vixque hora elaberetur, quin ægra vitam cum morte permutaret ſub repentina exanthematum retroceſſione.

§. LII.

De diarrhoea alvique lubricitate quid metuendum aut ſperandum ſit, cum ex prognoſticis jam pateat, neceſſitas loquitur, illam non ita ſimpliciter, quocunque etiam tempore contingat, tolerandam, ſibique relinquendam eſſe, ob metum facilioris exanthematum retroceſſionis; ſed utique Medici officium requirere, ut illam ad debitum perducat moderamen; quod tamen bono cum ſucceſſu

ceſſu haud abſolvitur per Adſtringentia communiora, his enim vel difficulter cedit, vel ſi cedat, facillimo negotio recurrit, & quando recurrit, ordinarie magis impetuoſa quam prima vice eſſe ſolet. Melius autem & expeditius negotium ſuccedit, ſi loco vulgarium adſtringentium aliquot grana, v g. 2. 3. l. 4. Nitri cum Lapidibus Cancrorum, Matre Perl. Coralliis, aut Dente Hypopothami miſcentur, & pro re nata ad grana 5. 10. 15. l. 20. propinantur. Nec male quis aget, ſi duo vel tria grana Extracti Chaccarillæ eiusmodi pulveribus pro neceſſitate admiſceat, aut Corticem Chaccarillæ in ſubſtantia, ad gr. 6. 8. 10. 15. pro ætatis differentia & neceſſitate, repetitis vicibus porrigat.

§. LIII.

Nec ex oppoſito aliquando, ſi non Medico, tamen Adſtantibus, minorem incutit metum Alvi poſitiva adſtrictio, non modo per unum alterumve diem communis atque conſueta, ſed paulo diutius durans, & quando quidem per plurimum morbi tempus multosque dies continuans; quamobrem ſæpius ſollicitatur Medicus, ut huic ſymptomati obviam eat, illudque vel abſtergente leniente interno remedio, vel Clysmate, aut ſuppoſitorio removeat, opinando, ex alvi occluſione, præſente febrili calore, exhalationes noxias ad caput elevari, ſanguinis congeſtionem ad ſuperiora invitari, deliriis, atque vigiliis fores aperiri, graviſſimaque mala & damna inde produci. Et cum ſane haud raro in hoc negotio Medicus inter Scillam quaſi & Charybdim poſitus ſit, & quomodo ſeſe e talibus adſtantium deſideriis, quæ aliquando aliorum commendationibus nituntur, extricare poſſit, neſciat, ne pro obſtinato aut moroſo, aut negligentius curam tractante, ne dicam non intelligente habeatur; operæ pretium erit, ut tam rationibus, quam experientia, auctoritate quoque Celebriorum Virorum innixa, maiorem mi-

noremve ſiccitatis & ſegnitiei alvi in Variolis noxam, maioremque aut minorem exſtimulationis alvinæ neceſſitatem & utilitatem perluſtremus. In genere itaque probe conſiderandum eſt, ſub univerſo Variolarum decurſu Naturæ motus eo vergere, ut Materia varioloſa per corporis peripheriam ejiciatur, & internæ nobiliores partes ab illa, eiusque effectu ulceratorio, liberæ ac immunes conſerventur: hanc ob rationem videmus, mox ab initio, ubicunque res bene cedit, alias evacuationes & excretiones per interiora ſuccedentes, v. g. alvinam & diureticam, parciores fieri, quo vehiculum excretionis facilioris, humores nempe ad peripheriam cutis tanto melius ferantur, & ſub illorum motuum continuatione, & variolarum eruptio, & earundem ſuppuratio ad finem usque abſolvatur. Quandocunque autem motus illi invertuntur, & vel copioſius alvus ſponte ſolvitur, vel diureſis quoque largius quam par eſt ſuccedit, ordinarie pauco temporis ſpatio, vel eruptionem, vel ſuppurationem legitimam ſufflaminatam aut penitus turbatam videre licet; ut variolæ ſeſſiles evadant, non eleventur, ſed facillime humore quem detinebant, orbatæ quaſi appareant. Porro conſiderationem meretur, materiam Variolis incluſam de die in diem acriorem fieri, donec tandem puſtulæ rumpantur, & ſanies effluat, hancque ob rationem febrim maturationis tempore exacerbari, dolores quoque & ardores graviores fieri, & ſi tunc temporis materia illa forſan ad interiora recederet, ſane non leviora inde timenda eſſe damna, quam ſi tale quid ſub prima eruptione contigerit. Deinde variolarum hiſtoria teſtatur, quod naturalis quidem ſive quotidie ſive alternis aut ternis diebus eveniens alvi apertio optime toleretur, nec ullo modo impugnanda ſit, verum ſi ſæpius recurrat, ancipitem eventum præſagiat, & poſt ſe facillime trahat.

Deni-

Denique non minus perpendendum eſt, haud levem ſæpiſſime intercedere differentiam inter evacuationes a natura ſponte evenientes, & eas quæ arte provocantur, cum ſane haud inſolitum ſit, quod in corporibus a morbo afflictis, aut debilitatis lenior quoque ſtimulus ſalinus ſub clyſtere, aut Lenitivum remedium, plus edat efficaciæ, quam Medici intentio intendit; & præcipue evacuationes diutius aliquando ſuppreſſas ad minimum apud ſenſibiliora ſubiecta, ſi ſimul & ſemel recludantur, haud raro ad lipothymias usque alterare.

§. LIV.

Cum itaque Medico ut Naturæ miniſtro incumbat, ut ad naturales motus ordinemque naturalem in morbis, i. e. utplurimum ipſis ſolennem atque familiarem attendat, eumque ſequatur; jure concludimus, in genere ſub cura variolarum naturalem aut naturali proximam alvi apertionem eſſe proficuam atque convenientem: Si autem inter alvi laxitatem, eiusque ſiccitatem poſitivam comparatio inſtituatur, præferendam eſſe ſiccitatem poſitivæ laxitati, cum minus inde pertimeſcendum ſit periculum retroceſſionis exanthematum, quæ tamen ſemper eſt ſontica atque funeſta: hancque ob cauſam in genere minorem ordinarie ſubeſſe neceſſitatem alvum exſtimulandi, etiamſi paulo diutius clauſa ſit: multo minus alvi ſolutionem proritandam eſſe eo tempore, quo febris viget, & exhibito ſtimulo facillime nimiæ excretiones timeri poſſunt, quippe quod in ſpecie circa dies criticos obſervandum eſt, ubi haud raro alvi proritationes præter Medici intentionem modum excedunt, & in nimias excretiones cum maximo ægrorum damno degenerare ſolent, præprimis ſi ſubiecta debiliora & teneriora fuerint. His noſtris rationibus alii quoque adſtipulantur in arte medica celebratiſſimi viri: inter quos Celeberrimum no-

ſtrum allegare liceat Hoffmannum, in Medic. Syſtemat. P. II. pag. 71. ita loquentem: *Nihil pernicioſius, & quod magis oëconomiam motuum vitalium interturbare poſſit, eſt, ac ſi excrementum tenue; malignum, a Maſſa ſanguinis jam ſeparatum, & ad cutem depoſitum, v. g. in ſcabie, Lue venerea, Scorbuto: it. Variolis Morbillis, Purpura, retropellatur, quod promtiſſime a frigore improvide admiſſo, terrore, vel Purgantibus, aut nimis refrigerantibus, fieri ſolet; ſiquidem materia jam peioris indolis facta nervoſis partibus inhærens, exitiales inflammationes, convulſiones, dolores, inquietudines, anxietates, animique defectiones ſuſcitat. Et idem Celeberrimus Author alio loco inculcavit, poſt ſecundum vel tertium diem, in Variolis, ubi jam omnia ſpaſmo æſtu & dolore fervent, abſtinendum eſſe ab evacuantibus.* Id quod tanto maiore jure attendi debet ſub ulteriore febris progreſſu & incremento.

§. LV.

Nec minus de plane innoxia, diuturniore licet alvi ſegnitie ſub variolis, in ſe ſpectata, innumera fere teſtantur exempla. Ut enim propriam taceamus obſervationem, ſub qua multoties ſine omni periculo per quinque, ſex, ſeptem dies toleravimus, nec ullo modo funeſtam deprehendimus alvi obſtipationem; Illuſtris Stahlius in Diſſertatione de Variolis atque Morbillis, Virginis mentionem facit, quæ ſub uſu Nitri in variolis ad decimum quartum usque diem, ſine omni incommodo obſtructa fuit, ſponte tamen hoc tempore revertente alvi apertione: cuius rei plura allegare poſſemus teſtimonia, niſi tempori parcendum, & de funeſto vel ad minimum dubio & perículoſo evacuationis alvinæ effectu aliquid adjiciendum eſſet. Hunc in finem inſtar plurium ſaltim adducimus ex Celebratiſſimo Langio Hiſtoriam, qua noſtræ

ſen-

ſententiæ ſuccurrit in Miſcellaneis Curioſis, pag. 136. &c. ſequentibus verbis. *Nos funeſta quædam exempla (ut evidentiſſimas rationes taceamus) jam olim & ante hanc luſtrorum trigam nobis nota adhuc usque abſterrent, dum Clyſteres ex juſculis carnium, duntaxat cum Nitro ſalitis paratos, triſti eventu alvi adſtrictæ fores aperuiſſe;* & mox ſubiungit citatus Author caſum de Virgine annorum 26. quæ Variolis de reliquo ſatis bene decurrentibus decubuerat, & morbi decimum quintum diem jamjam attigerat: cui, cum Alvus adſtricta eſſet, a naſutula, uti loquitur, contra ipſius ſuaſum ac præceptum alvus aperta & ſollicitata fuerat: *quam ſequenti diluculo viſitaturus, ſe cum Scriniario ſarcophagum paraturo concurrentem animadvertebat,* & in cauſam repentinæ mutationis a ſtatu heſterno inquirens, ab una adſtantium reſponſionem ſequentem accepit. *Ecce heſterno veſpere poſtquam diſceſſeras, ſub dominio Præſidis noſtræ, adhibito ſuppoſitorio, & hinc ſoluta alvo ſtupenda protinus virium reſolutio, mox loquelæ ſenſuumque omnium amiſſio ſucceſſit, atque cum puſtulis ipſa tandem ante bihorium vita diſparuit, ut ita Virginem alioquin in limine ſanitatis priſtinæ conſtitutam, officioſe, ſi Diis placet, necaverimus.* Et pergit: *Conſimilem plane tragoëdiam nobis recenſuit Celeberrimus D. D. Joh. Michaëlis Decanus noſter amplisſimus, dum temeritas Empirici, Illuſtriſſimam puellam, Clyſtere, utut etiam ſerio prælaudatus Vir diſſuaſerat perniciosſam hanc medendi in Variolis rationem, tanquam ens e jugulavit.*

§. LVI.

Hæc certe ſufficere poſſunt pro confirmanda noſtra circa hanc materiam ſententia, quod nempe in caſibus ordinariis neque abſolute neceſſaria, neque admodum utilis, ſed potius maxime dubia ſit alvi artificialis apertio ſub variolis, ante earundem declinationem; ideoque maxima in-

digeat circumſpectione conſilium circa illam capiendum. De reliquo tamem ſatis perſuaſi ſumus, ſpecialiſſimos aliquando occurrere, ſicut & in aliis morbis, caſus, in quibus a regula ordinaria deflectere licet, quando v. g. ex collatione omnium circumſtantiarum patet, multam in Inteſtinis colluviem excrementorum, ſive bilioſorum, ſive induratorum, cum flatuum incarceratione hærere: qualis caſus ex relatione Illuſtris Dni Hoffmanni recordamur; qui ad ægrum juvenem Variolis laborantem vocatus, illum cum variis gravibusque abdominis pathematibus flatulentis, anxietatibus præcordialibus, & proximo metu convulſionum, imo mortis deprehendebat, & ſub ſciſcitatione inſtituta animadvertebat, ægrum non modo ſub morbo multos per dies obſtructum eſſe, ſed aliquot jam diebus ante morbi invaſionem alvum non reſpondiſſe, & ſi illis diebus multum comederit; quapropter gravia illa ſymptomata ab hac cauſa deducens, pluraque graviora metuens, optimo cum ſucceſſu Enemate alvum ſubduxit, ſimulque ægrum ſummo periculo eripuit. Quod illuſtre exemplum ſane docet, maximum ſummumque adhibendum eſſe judicium in conſilio formando, ubicunque res in ancipiti eſt; & Medicum practicum ſemper ſecundum rationem evidentem, vel maxime probabilem agere debere, prout neceſſitas & utilitas individua ſuadet: nec unquam alium de alius conſiliis in re ambigua ceptis, niſi præſens fuerit, omnesque coram cognoverit circumſtantias urgentes, judicium ferre poſſe abſolutum.

§. LVII.

Nec ita rarum eſt, quod ſub decurſu morbi *Tuſſes cum Pectoris infarctu* concurrant, ex qualicunque refrigerio exacerbandæ, & recurrendi anſam capientes, ſæpeque apud ſucculentiores & humoribus repletos Cararrhi ſuffocativi metum incutientes; quibus utpote utplurimum impedi-

peditiorem eruptionem aut ſuppurationem ſequentibus, haud melius quam lenioribus Diaphoreticis cum Pectoralibus remixtis, ſub regimine, tam in amictu, quam in potu omnem refrigerationem excludente, occurritur, cui ſcopo imprimis Antimonium Diaphoreticum cum C. C. & Spermate Ceti anatica portione mixtum repetitis exhibitionibus inſervit; quibus guttulam unam aut dimidiam olei deſtillati Fœniculi aut Aniſi pro doſi addere licebit. Omne quod enim hic tunc temporis fieri poteſt, fieri debet per placidioris & minus impeditæ exanthematum eruptionis & expulſionis conſervationem ac promotionem, quo intuitu ceteris paribus quoque ex uſu eſſe poſſunt Emulſiones ſuperius commendatæ: nec ſi febrilis æſtus non admodum urgeat, lenia alexipharmaca interpoſita tunc ſunt negligenda, præprimis ſi morbus jamjam ad declinationem tendat: quo ſeneſcente tandem, ſi tale quid accedat, abſtergentia quoque balſamica leniora uſum habere poterunt. *Convulſiones* quod attinet, quæ potiſſimum in principio invaſionis ante efflorescentiam eveniunt, illarum remotio maxime fundatur in placida eruptionis promotione, quæ ſi ſuccedat ex voto, ſponte convulſionum ceſſationem poſt ſe trahit; interim per ita dicta ſpecifica antepileptica reliquis juncta ipſis occurritur, quando Lumbrici terreſtres, Dens Hypopothami, Lapis Hyac. Bezoar Orientalis, & Cinnabarina cum iis quæ ad eruptionis facilitationem commendavimus, junguntur: quod idem etiam fieri debet, ſi ſub reliquo morbi decurſu, vel ex terrore, ira, aut perfrigerio, atque materiæ peccantis timenda retroceſſione, aut a ſuperveniente dentitione aliquid convulſivi acceſſerit. *Ad Deliria, & Vigilias*, quæ aliquando ſuperveniunt non commendamus Opiata & Narcotica, quippe quæ in his affectibus negotium facile turbant, motusque anomalos producunt: ſed

potius cum reliquo moderato regimine, omnem humorum exæſtuationem præcaventia & mitigantia, nitroſa, cinnabarina, cum Abſorbentibus mixta, cum veris ſedativis, quorſum Corticem Caſcarillæ, ejusque Extractum referimus.

§. LVIII.

Aphthæ ſi accedant, in genere quidem curam aliam non poſtulant, quam ſimplices infantibus familiares, per oris collutionem cum Aqua chalybeata, ſalvia, & Roob. Ceraſ. decocta, præter quod ex aliqua parte propter maiorem corruptionem quam junctam habent, adiectionem antiſcorbuticorum, Myrrhæ, Cochleariæ, requirant. *Salivationi* & *Ptyalismo*, cum *Uvulæ relaxatione* quæ ordinarie juncta eſt, ſi ſub ſtatu morbi accedat, aliquis eſt concedendus ſucceſſus, ne impetuoſe ſiſtatur: ex altera parte tamen eo reſpiciendum erit, ne nimis diuturna duratione graves moleſtias creet, atque decubitum fortiorem formet, quapropter Gargarismata tonica, poſtmodum ſubadſtringentia Vino decocta in uſum ſunt vocanda, quo ſucceſſive partes relaxatæ roborentur, atque affluxus impetuoſus impediatur ac ſufflaminetur. Quodſi vero hæc ſub morbi declinatione accedant, tunc facilius Laxantibus, & Clyſteribus acrioribus revulſio inſtituitur: in utroque vero caſu externa topica reſolventia & roborantia, ex Succino, Fermento piſtorio, & aromatibus, vertici applicanda maxime ex uſu erunt. *Dolores* & *Ardores* in facie, manibus, aliisque partibus ſub maturatione præſentes, haud raro magnopere ægros excruciant, nec deſunt ex adſtantibus, qui remedia externa demulcentia lenientia, imo refrigerantia, vel a Medico expoſcunt, vel proprio conſilio ſuadent atque commendant, verumenim vero, cum maximopere hoc ſymptoma a copia variolarum dependeat, optime præſervatorie ipſi conſulitur, per moderationem eruptionis de qua ſuperius

perius actum eſt: & quidem longe melius atque ſecurius, quam ſub ipſius præſentia per externa talia remedia, aliquando de retropulſione, quam accelerare poſſunt, ſatis ſuſpecta. Optimum atque ſecurum quod concedi poteſt remedium, eſt Oleum ovorum myrrhatum; quo partes dolentes, & eſchara dolorifica tectæ illiniantur.

§. LIX.

Facies ipſa ejusque cutis externa, reſpectu fovearum ſuperſtitum nullum aliud facile præſidium invenit, quam quod fundatum eſt in generali minore Variolarum quantitate. Verum enim vero, quamquam monſtrata hactenus methodo, Medicus nimiam exanthematum eruptionem in genere quidem præoccupare poſſit, minime tamen ſpecialiſſime eruptionis negotium ita dirigere poteſt, ut in hac vel illa corporis parte pro eius imperio pauciora, aut plura illorum proveniant; cum ſæpius contingat, ut quidem in toto corpore ſat paucæ Variolæ, in Facie tamen illarum quam plurimæ erumpant, quod tanto facilius evenit illis ſubiectis, quibus Narium hæmorrhagiæ, aut ſanguineæ congeſtiones antea præ aliis familiares fuere. Hinc nemini ſuaſores ſumus, ut variis artificiis faciei conſulendo, ipſam eruptionem aut ſuppurationem evertat, totique negotio damnum & præiudicium afferat. Quodſi autem Cruſtarum deſiccatio & ſeceſſio nimium retardetur, quod poſt Variolas confluentes aliquando fieri ſolet, & inde metus eroſionis profundioris in cute ſubſit: inunctio illarum cum oleo Ovorum odoretenus quaſi, i. e. leviſſime camphorato, cui etiam ol. Myrrh. per del. jungi poteſt, locum habet. *De V. Sonis uſu* in variolarum cura quæſtio inſtitui ſolet, an neceſſaria utilis & proficua, aut damnoſa exiſtat? Nos impræſentiarum diffuſæ hujus quæſtionis reſolutioni non inhærebimus, quoniam illa in Diſſertatione, *De Evacuationum ſanguinearum utilitate & Noxa in Febribus*, jam perluſtra-

ta ibiq; monſtratum eſt, quod V.S. ad Variolarum curam qua talem, neque neceſſaria, neque utilis exiſtat, ſed utilitatem ab illa ſperandam ad individuales & ſpecialiſſimos caſus, ex aliarum cauſarum aut affictionum complicatione tale quid poſtulantes, referendam eſſe.

§. LX.

Abſoluto nunc tractationis ordine, ipſius curationis Variolarum quæ toti morbo uſque ad orthoſtadiam ægri competit, nihil nunc amplius reſtare videtur, quam quod etiam duo Verba addamus, de Cura ſuccedanea, quæ ad reliquias morbi forſan remanentes reſpicit, a quibus nova pathemata ſanitatis aliquando ortum capere poſſunt, dum notorium ſit, ſatis frequenter poſt Variolas ſuperatas, Lippitudines, ophthalmias, ſurditatem, vel Auditus difficultatem, Ulcera mali moris, & Contracturas ſuccedere. His ut obviam eat Medicus, & pro viribus obicem ponat, ex aliqua parte ſub ipſa cura jam indigitatum eſt; cum vero tunc non omnia obtineri poſſint quæ neceſſaria ſunt, poſt abſolutam curam ſtricte dictam, ut duplici via inſiſtat Medicus, neceſſe eſt. *Prius* itaque quod Medico incumbit, conſiſtit in conſilio diætetico ægris hucusque reſtitutis præſcribendo: ubi ante omnia, ſicut per totum morbum liberioris ac frigidi aeris acceſſum haud conceſſit, ita & nunc præmaturum illius uſum diſſuadebit; præſertim ſi Variolæ tempore autumnali graſſentur; hoc enim longe facilius quam alio anni tempore noxas ejusmodi poſt ſe relinquunt. Nec minus dehortabitur a ciborum nimia ingurgitatione, præcipue frigidorum, minus coctorum, aut coctu difficilium, quæ Ventriculum lædunt, & ſæpiſſime febribus anomalis ac diuturnis viam ſternunt. Nec ægris illis Lectiones & Lucubrationes, aliosque labores, quibus oculi adficiuntur, ſtatim poſt morbum concedat, capitisque ſi forſan capilli defluxerint, debitam a frigore præſervationem commen-

mendet. *Alterum* erit, ut ægrum non nimis cito e Pharmacopolio dimittat, priusquam reliquias a morbo in corpore & humorum maſſa hærentes, debite evacuaverit: quo intuitu, finito de reliquo Morbo, & curationis decurſu, optime Clientibus ſuis conſulet Medicus, ſi Alexipharmacorum leniorum, & Pectoralium reſolventium, per unam alteramque ſeptimanam continuaverit; quem in finem Eſſ. Alexiph. St. Pimpin. Alb. Coſti Dulc. Enul. Hyſſop. atque ſimilia bis aut ter de die ad gutt. 15. 20. 30. 40. propinari poſſunt. His alvi ſubductionem repetitam coniungat, aut ſubordinet, ita ut repetitis vicibus leni laxante balſamico, aut ex Mercurio Dulci rite elaborato, parato, corpus evacuet, primasque vias exoneret: quo facto totam obſignare poterit curam, certusque eſſe, quodſi omnia hucusque commendata, & a Medico, & ab Ægroto rite intellecta, obſervata, & applicata fuerint, in plurima ægrotantium parte, Curam variolarum haud ſiniſtre ceſſuram fore.

§. LXI.

Reminiſcimur nunc, Verbum adhuc adjiciendum eſſe De Variolis ſpuriis, quorum §. III. mentionem iniecimus. Cum vero præſens Schediaſma præter intentionem in maiorem excreverit molem, neceſſitas urget, ut paucis nos expediamus, brevibusque monſtremus; Spurias Variolas Exanthematis puſtularis quidem ſpeciem eſſe, infantili ac puerili ætati familiarem, externa figura & magnitudine veras variolas ex parte æmulantem, nequaquam tamen cum Variolis veris idem eſſe, aut ab illarum diverſa ſaltim indole accidentali ſuam diſtinctionem accepiſſe. Quod ut breviter, perſpicue tamen præſtemus; notari volumus: 1. Febris præſentiam differentem: 2. Exanthematum diſcrepantiam: 3. Decurſum morbi atque Periodum ab invicem diſcrepantem: & 4. Exitum atque Eventum quo itidem differentes obſervantur. Febrem quod attinet; licet in quibusdam aliqua febris, vel potius recte dicendo febrilis quædam commotio ſpurias variolas comitetur,

hæc tamen febris, neque ad malignitatem inclinans, neque ullo modo actu maligna, neque contagioſa unquam deprehenditur, quod tamen de veris variolis notum eſt. Exanthema ipſum extrinſecus quidem variolas æmulatur, eſſentialiter vero ab ipſis diſcrepat; dum Puſtulæ vel maiores quidem ſunt, quam Purpura, & magnitudinem variolarum incipientium attingunt, ſed acuminatæ latiore ambitu carentes manent, ideoque tanquam veris minores, die Spitz-Pocken vocantur. Vel magnitudinem verarum Variolarum quoque ſuperant, multoque ſeroſo aqueo humore plenas puſtulas formant, quo intuitu die Wind- und Waſſer Pocken nominantur. Vel denique corneam quaſi duritiem attingunt, & ita citra rupturam exſiccantur & decidunt, quas vulgus die Stein-Pocken nominare ſolet: circa quas omnes exanthematum ſpecies eſſentiale verarum Variolarum conſectarium veræ ulcerationis aut ſuppurationis deficit, dum hæ puſtulæ omnes ad nullam ſuppurationem pervenientes, vel humorem paucum in acuminatis, vel multum quidem, ſed aqueum ſeroſum, vel mucidum ſpiſſum, ad exſiccationem pronum, continent.

§. LXII.

Periodus neque coincidit cum verarum Variolarum periodo; quippe quæ non modo certum decurrendi tempus, pluribus ſeptenariis incluſum ſervant, ſed totum decurſum quoque in ſpecie ſecundum ordinem criticum abſolvunt: cum hæ ex adverſo neque conſueta illa tempora ratione graſſationis, aut reſpectu totius decurſus, neque ſpecialiter critica tempora ratione eruptionis, aut deſiccationis attendant, ſed incerto utplurimum dierum numero, ſex, ſeptem, octo, ſuam periodum abſolvunt. Non minus exitus atque eventus tam generalis quam ſpecialis in utrisque penitus differt variolis: dum veræ adminimum diſpoſitione ad periculum nunquam carent, etiam ſi non in omni individuo periculoſæ exiſtant aut actu periculum inducant: ſpuriæ vero ſemper ſine vitæ periculo decurrunt, nec deleteriæ exiſtunt: in ſpecie autem hæ ſpuriæ fovea-

rum

rum veſtigia non relinqunt, qualia veris utplurimum familiaria eſſe ſolent.

§. LXIII.

Subiecta ſpuriarum variolarum ſi attendamus, in genere pueros atque infantes ipſis corripi videmus, & quidem fere cum omni adultiorum exceptione, quippe qui admodum raro illis decumbunt. Quod autem ad ſpecies ſubalternas pertinet, non dubitamus Temperamentorum diverſitatem aliquid contribuere ad puſtularum differentiam, atque humoris in illis contenti diſparitatem: cum rationi ſit admodum conſentaneum, ſiccioribus acuminatas, humidioribus aquoſas, & iis quæ humores mucidiores ſpeciatim alunt, corneas illas familiares atque ſolenniores eſſe. In Cauſam horum exanthematum denique ſi inquiramus, Materiam miasmaticam hic accuſare non licet, aëremque inquinantem, ſed potius illam quærere licebit in individuali atque ſporadica humorum impuritate, tam ſalſa quam mucida; quapropter etiam illas ad affectus quaſi catarrhales referimus: & hoc quidem eam ob rationem, quod Variolæ ſpuriæ neque epidemice graſſentur, ſed ſporadicæ occurrant, neque per contagium manifeſtum, ad minimum in ædes alienas transferantur; nec omnibus quaſi individuis ſicut veræ infeſtæ exiſtant; ſed ut alia ecthymata cutanea, cum leniore ſaltem febrili commotione, ſæpiſſime nequidem notabili, facili negotio decurrant & ſuperentur: e quibus facillime etiam tota horum exanthematum Prognoſis, ſine ulterioris deductionis neceſſitate elucet.

§. LXIV.

Curam denique quod concernit, ſpuriarum Variolarum, hæc facillime ſolo regimine moderatiſſime calido, aëris frigiduli excluſionem ſaltem obſervante, citra Medicamentorum concurſum abſolvitur, ita ut frequentiſſime nullum plane conſilium Medici requiratur. Ubi autem teneriores ægri, paulò notabiliora incommoda, vel a febricula, vel ab exanthematibus ſentiunt, illis facillimo negotio ſuccurritur,

ſub qualicunque febrili æſtu, remediis diapnoico-nitroſo-abſorbentibus, cum quieta continentia, & tranſpirationis inſenſibilis conſervatione: extra illum autem interpoſitis lenioribus Alexipharmacis, & Diureticis, nec non pro neceſſitate ſuccinatis. Quibus ſi totus affectus intra paucos dies rite cedat, poſt illius decurſum lenem quoque Laxationem inſtituere conducit; ut nempe ſeroſæ reliquiæ penitus eliminentur, iisque impuritatibus ad pectus forſan recidendi occaſio præripiatur: quo intuitu etiam regimen tranſpirationi favens ſit commendatum, cum alias tuſſes ſicciores, talem acrimoniam pro cauſa agnoſcentes, inde oriantur. His ita pertractatis & Diſſertationis titulo, & intentioni noſtræ nos ſatisfeciſſe credimus, Lectoris expectationi idem factum fuiſſe optamus, ſperamus. Quapropter vela nunc contrahimus, quamquam plura adhuc dicere potuiſſemus: DEO T. O. M. grates referentes, pro benigna qua nobis adſtitit, virium corporis mentisque ſuppeditatione; Tibique cordate Lector noſtrum laborem de meliori commendatum volumus; voventes, quo cedat in multorum Varioloſorum ſolamen; quorum ſalus promovenda, noſtræ tractationis primarius fuit.

FINIS.